HENRICI KORNMANNI
ex Kirchajna,

DE

MIRACVLIS MORTVORVM,

OPVS NOVVM ET ADMIrandum in decem partes distributum:

In quo mirabilia Dei miracula & exempla mortuorum ex veteri & nouo Testamento, ex Ecclesiasticis & prophanis Historicis, summa opera & studio collecta habentur, quæstiones naturales, Physicæ, Medicæ, Theologicæ & Iuridicæ traduntur & artificiose pertractantur.

Diu desideratum & expetitum, nunc vero primum in lucem editum.

Sum ex libris M. Danielis Clasenii postridie Kalend. Octob. Anno CIƆ IƆ CLI.

Typis Ioannis Wolffii, sumptibus Ioannis Iacobi Porsii.

M. DC. X.

~~7441B46m~~

A.6133

Cornell University
The
President White
Library

REVEREN-
DISSIMO ET
ILLVSTRISS. PRIN-
CIPI AC DOMINO, DN. IO-
anni Friderico, Ecclesiæ Fuldensis Ab-
bati, Diuæ Augustæ Archicancellario
per Germaniam & Galliam pri-
mati, Princip. ac Dom.
meo clementiss.

S.

QVo quæ magis stupenda, & rarius consueta fieri, eo admirabiliora, id in mortuis palam est. His enim, quum ex hos seculo abiere, quamuis suus destinatus sit locus, omniaque opera externa per mortem sopita censeantur, multa tamen, eaque admiranda

circa eorum cadauera sæpe contingunt (quales enim sunt mores & habitus hominum in hac vita, tales plerunque animarum affectiones sequuntur post mortem, quæ secum adhuc memori mente volutat, quæ quõdam in vita gesserat, quæ tunc eo intentius & acutius occurrunt, pro quanto cessant tunc varia vitæ officia nutriendi, vegetandi, generandi, sensuumque & humanorum negotiorum varia occupationes & solatia, & craßioris corporis obstacula.) Contingunt aûtem ea vel ex singulari permißione Dei, multos enim singulari Dei beneficio cum corporib. in gloriam assumptos credimus: multos etiam viuos descendisse in infernum. Vel contingunt ea opera & ludificatione dæmonum: audimus etiam non raro mortuorum corpora è sepulcris per dæmones sublata. Vel contingunt ea magorum & præstigiatorum opera & arte, hi enim suas incantationes & magiam plerique exercent in tumulis sepultorum. Quæ omnia multiiuga lectione in quantum valui, tum ex Ecclesiasticis scriptoribus & prophanis summo studio & opera collegi, tum in peregrinationibus meis in Germania, apud Italos, apud Gallos, & apud Iberos, ipsemet obseruaui. Et quia seruus piger

&

& inutilis propter talentum in terra abſconditum à Domino condemnatur Luc. 19. ideo talentum ſcientiæ à Deo mihi datæ, opus hoc ſuper altare Dei offero. Reſtitit inuida turba hominum, qui exuſtione potius quam luce dignum hoc opus iudicarunt. Aſt non curo. illorum enim non eſt os ponere in cœlum. Viuant vt velint, ſua inuidia mortuis haud lucem inuidebunt. Cogitanti vero mihi de huius operis editione, quod paßim allegabatur, quodque inſtantißime à multis deſideratum diu fuit, vna etiam mihi cogitandum fuit, cui nam patrono opus hoc dedicarem. Occurrit fato, diuino aſpirante numine Illuſtr. & Reuer. V. D. quam hoc munere quam maxime dignam iudicaui. V. Ill. R. igitur hoc opus ſacrum dicatumque eſſe volo, quo ſecurius in hominum conſpectum prodire poßit. Credo firmiter facile V. R. à calumniis detractorum opus hoc protecturam ac defenſuram cum celebri ac inſigni auctoritate. Hilari igitur fronte gratoque animo R. P. munuſculum iſtud cape, quod licet R. V. nulla ex parte conueniat, erit tamen meæ erga illam perpetuæ voluntatis & obſeruantiæ certißimum apud omnes teſtimonium. Quod ſi non ingratum fuiſſe intellexe-

vim, grauißimo & maximo iudicio R. V. confirmatus alia aggrediar. Valeat R. V. & diu felicißime viuat. Dab. Kirchajnæ Mense Quintil. Anno 1609.

Reuerendiss. V. Cels.

obseruantiss.

Henricus Kornmannus ex Kirchajna Chattorum.

DE

ELENCHVS AVCTORVM VNDE COLLECTANEA nostra deprompsimus.

ABbas Vrspergensis.
Abbo Floriacēsis Abbas.
Abrahamus Scultetus.
Abrahamus Hosemanus.
Abrahamus Saurius.
Accursius.
Ado Treuerensis.
Ælius Lampridius.
Æmylius Probus.
Æmylius Veronensis.
Ælius Spartianus.
Æneas Syluius.
Albericus.
Alexander.
Alexander ab Alexandro.
Alexandrinus.
Alexius Pedemontanus.
Alanus de Insulis.
Albertus Magnus.
D. Ambrosius Mediolanēs.
Ammonius Marcellinus.
Andreas Angelus.
Amerinus Iulianus.
Andreas Hondorffius.
Andreas Libauius.
Andreas Osiander.
Andreas Baccius Elpidian.
Andreas Picus.
Angelus.
Angelus Clauassinus.
Annales Cretensium.
Antigonus.
Antonius à Gama.
Antonius Gomezius.
Antonius Mizaldus.
Antonius Tessaurus.
Antonius Zimara.
Antonius de Kampegolis.
Appianus Alexandrinus.
Antoninus.
Apuleius Madaurensis.
Archidiaconus.
Aristoteles Stagyrita.
Archelaus.
Artemidorus.
Alexander Gagninus Veronensis.
D. Augustinus Hipponensis.
Augustinus Lercheimer.
Ausonius.
Auerroës.
Ancyrana Synodus.
D Athanasius.
A. Gellius.
Aurelius.
Adamus Lonicerus.
Aubertus Myraus.

B.

BAldus Iurisconsultus.
Baldus Angelus Abbatius.
Balaus Anglus.
Baptista Fulgosius.
Bartolus.
Bartholomeus Chassanaus.

Bartholomæus Sybilla.
Basilius Faber.
Basilius Gradi de Ragusa.
Basilius Phrysius.
Beda.
Benederius.
Benzo.
D. Bernhardus.
Bernhardus à Breidenbach.
Bernardinus Scordconius.
Blondus Flauius.
Bonfinius.
Boërius.
D. Bonauentura.
Bruschius.
Burgensis.
Biblia.

C.

CArdinalis Toletanus.
Cæsar Baronius.
Cælius Rhodiginus.
Casparus Goltwurm.
Casparus Peucerus.
Casparus Hedio.
Canones.
Chilo Lacedæmonius.
Chilianus Konig.
Christophorus Rothmānus.
Christophorus Fischer.
Chronologia Pontificalis.
Cuicius Alimetus.
Conciliator.
Conradus Schlusselburger.
Coryppus.
Corneus.
Carolus Sigonius.
Cornelius Nepos.
Cornelius Tacitus.
Cornelius Gemma.
Codex Iustiniani.
Collegium Vniuers. Vien.
Conradus Lycosthenes.
Cremutius.
Cynus Pistoriensis.

D.

DAmascenus.
Dauid Kimbi.
Dauid Mederus.
Daniel Cramerus.
Diodorus.
Dionysius Ricelus Carthusianus.
Diod. Siculus.
Dominicus Soto Segobiens.
Domitius Brissonius.

E.

ECclesiastica Historia.
Egesippus.
Ecbertus Leoninus.
Epiphanius.
Erasmus Roterodamus.
Euerhardus Speckhan.
Emmanuel Pinnerus.
Eusebius Cæsariensis.
Eunapius.
Eunichius Neuwald.
Engelius.
Eustathius.
Eutropius.

F.

FEstus.
Franciscus Chambonus.
Franciscus Cason.
Francica historia.
Franciscus Puteus.
Franciscus Schottus.

Fran-

Franciscus Petrarcha.
Franciscus Patritius.
Franciscus Valeriola.
Franciscus Valesius.
Fulgentius.

G.

GAbriel Biel.
Gabriel Luchinus Canon. Lateran.
Galatinus.
Galenus.
Gesnerus.
Genebrardus.
Georgius Sabinus.
Georgius Fabritius.
Georgius Pertisch.
Georgius Æmylius.
Godelmannus.
Glossa.
Gregorius Turonensis.
Gregorius Nyssenus.
Gregorius Horstig.
Gironadus.
Guilhelmus Adolphus Scribonius.
Gyzaldus Cambiensis.

H.

HAdrianus Barlandus.
Haymo Halberstadẽsis.
Haython Armenius.
Herodotus historicus.
Hector Boëtius.
Heliodorus.
Hermes Trismegistus.
Hesychius Hierosolymitanus.
Henricus Cornel. Agrippa.
Henricus Roth.
Henricus Rauhdorn.
Henricus de Gand.
Henricus Bocerus.
Hẽricus de Langenstein dictus de Hassia.
Henricus de Castella.
Hermannus Fleienus.
Hermannus Kirchnerus.
Horatius Spondeus.
B. Hieronymus.
Hieronymus Cagnola.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus ex Capugnano.
Hieronymus Maggius.
Hieronymus Nymannus.
Hieronymus Mengus.
Hieronymus Paptius Saxolensis.
Historia Friderici Barbarossæ.
Homerus.
Hostiensis.
Huldericus Frœlich.
Hieronymus Bock.

I.

IAcobus Aconthius.
Iacobus de S. Georgio.
Iacobus Nouellus.
Iacobus de Suffato.
Iacobus Weckerus.
Iacobus Schonmitz.
Ianus Vitalis.
Ioannes Baptista Ferretus.
Ioachimus Struppius.
Ioachimus à Beust.
Ioannes Baptista Nicolai.

Ioannes Papa 21.
M. Ioannes Beleth.
Ioannes Bodinus.
Ioannes Andreas.
Ioannes Corasius.
Ioannes de Gerson.
Ioannes Gomesius Sepulneda.
Ioannes Moltherus.
Ioannes Enenius.
Ioannes de S. Georgio.
Igneus.
Innocentius P. 3.
Innocentius Cybus.
Innocentius Sortelongus.
Iornandes.
Ioannes Iacob. Boissardus.
Institutiones Iustiniani.
Ioannes Colerus.
Ioannes Niderus.
Ioannes Kyrhmannus.
Ioannes Filesacus.
Ioannes Pittsius.
Ioannes de Montauilla.
Ioannes Sternholss.
Ioannes Buxdorffius.
Ioannes Longinus.
Ioannes Dubrauius.
Ioannes Sturmius Mechlinianus.
Iosephus.
Iosephus Ludouicus.
Iosephus Mascardus.
Iobus Fincelius.
Irenaus.
Iustinus Martyr.
Iuba.
Iustinus Goblerus.
Iulius Clarus.
Itinerarium Italia.
Isidorus Hispalensis.
Iustus Lipsius.
Iulius Iacobinus.
Iulius Obsequens.
Ioannes Pistorius.
Ioannes Tritthemius.

L.

LAërtius.
Laurentius Ananias.
Laurentius Surius.
Leonhardus Vairus.
Leonellus Fauentinus.
Leuinus Lemnius.
Leuinius Torrentius.
Leo Hostiensis.
Leon Tripultius.
Lucanus.
Lucas Fruterius.
Lucius.
Ludouicus Lauaterus.
Lucretius.
Ludouicus Viues.
Ludouicus Granatensis.
Ludouicus Nonius.
Lindanus.
Ludgerus.
Lupus Seruatus.

M.

MAttilius Serranus.
M. Tullius Cicero.
M. Victorinus.
Martianus IC.
Marcellus Donatus.
M. Andreas Palladius.
Martinus Crusius.
Martinus Delrio.

Mar-

Martinus Weinrichius.
Martius Galeottus.
Martianus.
Marquardus de Susannis.
Macer I C.
Marullus.
Masserus.
Marsilius Ficinus.
Marsilius.
Matthiolus.
Matthias Quad.
Maximus Tyrius Philosophus.
Menochius.
Metaphrastes Fraculphus.
Michael Bapst.
Michael Scotus.
Michael Eyzinger.
Miss Romanum.
Munsterus.
M Antonius Blancus.
M. Antonius Muretus.

N.

Natalis Taillepied.
Nauclerus.
Nathan Chytraus.
Nicolaus Lyra.
Nicolaus Remmigius.
Nicephorus Calixtus.
Nicolaus Florentinus.
Nicolaus Leonicus Thomaus.
Nicolaus Serarius.
Nouum Testamentum.

O.

Ovidius Naso.
Officium Sixti V. P. M.
Onuphrius Panuinius.
Olaus Magnus.

P.

Paratus.
Paulus Diaconus.
Paulus Scalichius.
Paulus Iouius.
Paulus de Castro.
Paulus Venetus.
Pandulphus Collenutius.
Papinianus I C.
Pausanias.
Passionale S. Vrsula.
Papinianus Statius.
Petrus Aureolus.
Petrus Apponensis.
Petrus Bertellius.
Petrus Binsfeldius.
Petrus Bonfons.
Petrus Boaysteau Lanaus.
Petrus Damianus Cardinalis.
Petrus Gregorius Tholosan.
Petrus Martyr.
Petrus Merssaus.
Petrus Ouuerad.
Petrus Canisius.
Petrus Thyraus.
Petrus Crinicus.
Petrus Rauennas.
Petrus Pomponatius.
Paris de Puteo.
Philippus Camerarius.
Philippus Melanchthon.
Philippus Theophrastus Paracelsus.
Phlegon Trallianus.
Philo Carpatius.

Plato

Plato.
Platina.
Placa.
Platea.
Plinius.
Plutarchus Cherroneus.
Pellicanus.
Possidonius.
Pomponius Mela.
Polydorus Virgilius.
Propertius.

Q.

QVintilianus.

R.

RAbbi Moyses.
Rabbi Sedias.
Raphael Sadeler iunior.
Rhasis.
Rauius.
Renatus Benedictus.
Reinerus Reinneccius.
Reinhardus Lorichius Hadamarius.
Ranuldus.
Ranulphus.
Ricardus Anglus Argentinensis.
Rogerus.
Rodulphus Goclenius iunior.
Rolhagius.
Romanus.
Ruffinus Aquiliensis.

S.

SAlycetus.
Saxo Grammaticus.
Scaeuola I C.
Scipio Gentilis.
Scipio Marulla.
Scholiastes Nicandri.
Seneca.
Seruius.
Simon de Cassia.
Simon Gonlardus.
Simon Maiolus.
Sigismūdus L. Baro ab Herberstein.
Socrates.
Socinus Nepos.
Sophronius.
Schrammius.
Strabo.
Strozzius Grogna.
Stobaeus.
Suetonius Tranquillus.
Synesius.
Suidas.
Szegedinus.

T.

THomas Aquinas.
Thomas Cantipratanus.
Thomas Fienus.
Thomas Morus.
Thomas Erastus.
Thomas Actius.
Tertullianus.
Tondaeus.
Theodorus Funccius.
Theodoretus.

V.

VAlerius Maximus.
Valerius Polydorus.
Viaggio di Messer Alnigi, &c.

Vir-

Virgilius Maro.
Vincentius Bellouacensis.
Vita sanctæ Catharinæ Senensis.
Vitruuius.
Vita Iesu Christi Gallic.

X.

X *Anthus.*
Xenophon.

Z.

Z *Angerus.*
Zonaras.
Zacharias Lippeloius.

DE

DE MIRACVLIS MORTVORVM

Pars prima.

INcipit feliciter pars prima huius operis. Prius autem quam ſerio ſpacium hoc ingrediar, pro maiori declaratione aduertendum duxi ſecundum D. Thomam in quæſtione diſput. de Miraculis, quod miraculum dicitur à mirando. Ad veram autem admirationem duo requiruntur, quorũ vnum eſt, quod cauſa illius quod miramur ſiet occulta. Secundum eſt, quod in eo quod miramur appareat aliquid, per quod videatur contrarium eius debere eſſe quod miramur. Hoc autem contingit dupliciter, vno modo ſecundum ſe, alio modo quo ad nos. Quo ad nos quidem, quando cauſa illius effectus quam miramur, nõ eſt occulta ſimpliciter, ſed occulta huic vel illi, nec in re, quã miramur ſecundum rei veritatem, ſed ſolum ſecundum opinionem. Et ex hoc contingit, quod id, quod vni eſt mirum vel admirabile, alteri mirum vel admirabile non eſt, ſicut ſciens virtutem lapidis Magnetis per doctrinam vel per experimentum non miratur effectum eius, ignorans autem miratur. Secũdum ſe autem aliquid eſt mirum vel admirabile, cuius cauſa ſimpliciter eſt occulta, & quando in re contraria eſt diſpoſitio ſecundum naturam effectui qui apparet. Et iſta non ſolum poſſunt dici mira in actu & potentia, ſed etiam miracula, quaſi habentia in ſe admirationis cauſam. Cauſa autem occultiſſima à noſtris ſenſibus eſt virtus diuina, quæ in omnibus rebus occultiſſime operatur. Et ideo quæ ſola virtute diuina fiunt in rebus illis, in quibus eſt naturalis ordo ad contrarium effectum, vel ad contrariũ modum faciendi dicuntur proprie miracula: Et vero quæ natura facit nobis tamen vel alicui noſtrûm occulta, miracula dici non poſſunt, ſed ſolum mira vel mirabi-

lia,

lia Et circa ea, quæ Deus miraculosè facit, talis solet adhiberi distinctio, quod quædam dicũtur fieri supra naturam, quædam cõtra naturam, & quædam præter naturam. Supra naturam quidem in quantum in illum effectum quem Deus facit, natura nullo modo potest. Quæ quidem contingit dupliciter vel quia ipsa forma inducta à Deo omnino à natura induci nequit, sicut forma gloriæ quam inducet Deus in corporibus electorũ, & sicut est incarnatio verbi, vel quia etsi talem formam possit in aliquam materiam inducere, non tamen in istam vel illam, sicut ad causandi vitam natura potens est, sed quod in hoc mortuo natura vitam causet, hoc facere non potest. Contra naturam esse dicitur, quando in natura remanet contraria dispositio, ad effectum quo Deus facit, sicut fecit, quod conseruauit pueros illæsos in camino Babylonico remanente virtute comburendi in igne & quando aqua Iordanis stetit remanente grauitate in illa, & simile est quod virgo peperit. Præter naturam autem dicitur Deus facere quando producit effectum, quem natura producere potest, illo tamẽ modo quo natura producere non potest, vel quia deficiunt instrumenta, quibus natura operatur, sicut cum Christus conuertit aquam in vinum, quod tamen natura aliquo modo facere potest, dum aqua in nutrimentũ vini assumpta suo tempore in vuæ succũ per digesta producitur. Hoc autem inde euenit, quia Deus benedictus plures modos operandi habet quam natura, vel quantũ ad tempus, sicut cum in momento quid fit, quod natura non statim, sed successiue & in alio tempore non in isto perficit. Dæmones igitur secundum D. Bonauen. in 2. dist. 7. art. 2. q. 3. possunt facere illa quę apparent, & vere sunt mirabilia, sed non miracula, quia miracula non possunt fieri per vim naturæ, sed per virtutem supra naturam, quæ est agentis primi, sunt enim supra facultatem, & ideo attestantur omnipotentiam facientis, sed opera, quæ faciunt dæmones, etsi miracula videantur, quia fiunt in tempore quasi inperceptibili, non tamen sunt vera miracula, quia fiunt vi naturę. Et si obiiciatur,

quod

quod natura non poteſt ita cito operari. Dico quod verum eſt, de natura per ſe, ſed taliter poteſt eſſe adiuta & confortata rebus naturalibus conuenientibus vt quaſi repente prorumpat in effectum, ſicut patet de generatione ranarum. Et ſi quæratur, quomodo diſcerni poſſint huiuſmodi miracula, reſpondetur, quod etſi conueniant in materia, differunt tamen ex parte principalis agentis, ex parte miniſtri, ex parte finis, & ex parte facti. Ex parte principalis agentis differunt. Nam in miraculis diuinis operatur agens infinitæ potentiæ & ſupra naturam. In miraculis vero dæmonum operatur virtus naturæ multipliciter adiuta per naturas alias. Ex parte miniſtri etiam differunt. Nam Dei miracula fiunt per publicam iuſtitiam, ſecundum veritatem & apparentiam, ſed miracula dæmonum fiunt per priuatos contractus & quędam archana, & hoc eſt quod dicit D. Auguſtinus, quod boni faciunt miracula per publicam iuſtitiā, hoc eſt, per fidem veram, quam veritas omnibus prædicat. Mali Chriſtiani per ſigna publicæ iuſtitiæ, quia fidē habent, & videntur habere opera, ſed Magi per priuatos contractus, & hoc eſt, quod dicitur in Exodo, per incantationes & archana quædam, huius ſignum eſt, quod ibi ſunt opera tenebrarum, quia qui male agit odit lucē. Ex parte finis ſimiliter differunt, quia miracula Dei fiūt ad vtilitatem & diuinam gloriam, ſed miracula Magorum fiunt ad deceptionem, ad vanam gloriam, & ad excellentiam. vnde ſunt quaſi ſemper inutilia. Differunt etiam ex parte facti, quia dæmones faciunt huiuſmodi miracula vtilia & inutilia, miracula vero diuina ſunt valde vtilia & neceſſaria. Vnde dæmones maxime faciunt ranas & ſerpentes, quia hæc de facili producuntur naturali operatione, quæ diuino iudicio magis permittuntur ad prioris facti memoriam. Vnde ſicut Deus temperat potentiam & aſtutiam diabolicam, vt ſic patiatur eum peruerſe imitari, vt in ipſa imitatione diabolus poſſet ſeducere malos, iuxta eorum demerita, ita etiam illa permittit, vt poſſit deprehendi à bonis, & vt fides ſimul cum miraculis habeat locum. Si enim ſolus

Deus

Deus & serui eius miracula facerent, quis non crederet in Deum miraculis compulsus? Nunc autem cum mali & boni faciunt miracula, qui diuinitus illustrantur vt inter hæc possent discernere vera miracula, adiuuantur, & per dęmonum miracula exercentur & probatur. Hæc de miraculis. ¶ Nunc de mortuis. Mortuus est reb. humanis exemptus, c. quæuis. & c. si delegatus. de offic. deleg. lib. 6. vel est viam vniuersi carnis ingressus, c. 1. si subdelegato. eod. tit. & lib. vel de medio sublatus, c licet. eod. tit. Nam medium dicitur hæc vita, & quare sic dicatur not. 23. q 4. c. hæc autem vitæ. vt not. Ioan. And. in procem clem. vt supra. Dicitur autem quis mortuus sex modis. ¶ I. spiritualiter, & sic dupliciter, scilicet bene & male. Bene dupliciter; per baptismum c. ostenditur. dist. 4. de consecr. c. nec is. 15. q. 1. &c. Male triplicitet. 1. baptisatus, ab ecclesiæ tamē veritate diuisus, c. Christus, dist 2. de consecr. 2. baptisatus in Ecclesiæ vnitate consistens, tamē criminosus, 3 q. 4. c. hi qui, vbi dicitur: Nolo mortem peccatoris, &c. cap. Canonica, ea. caus. q. 5. 3. Baptisatus & æternaliter damnatus. c. filius. dist. 4. de consecr. ¶ II. Ciuiliter, vt ab hostibus captus, seruus effectus, libertus in seruitutem ob ingratitudinem reuocatus, & dicitur econtrario viuere, qui immaniter occisus est propter fidem Christi, quare mors sanctorū frequenter dicitur ab ecclesia natalis eorum, quasi ad vitā nati sint. ¶ III. Seculariter, vt Monachus, c. placuit. 16. q. 1. quemadmodum spiritualem mortem, cum religioni deuotus quispiam ex communi & mundana in spiritualem vitam migrat & Deo quasi nascitur, nominat Ioannes Genesius Sepulreda de ritu nupt. lib. 1. circa fin. ¶ IV. Effectualiter, vt Paulus mortuus fuit, vt ait, mihi mundus crucifixus est, & ego mūdo, c. quæ Christo, 22. q. 1. ¶ V. Carnaliter, & Sexto corporaliter, qui duo modi poni possunt pro eodem, & sic Lazarus mortuus erat, c. si quem forte. 24. q. 1. Et de his in hoc libello agemus. Et differūt mortuus & occisus, l. proinde D. ad l. Aquil. nam quilibet mortuus non est occisus, sed econuerso, & ita hęc duo se habent, vt genus & species, & creditum

& mutuum, l. 2. §. appellata. D. si cert. pet. & simile Inst. de iure nat. §. lex. Et qui mortui nascuntur, neq; nati neque procreati videntur, l. qui mortui. 129. D. de verb. signif. Fr. Chambon. in addit. ad vocabul. iuris in lit. M. verb. Mortuus. Paratus in serm. de Tempore, serm. 122.

CAP. I.

De Abele.

PRimum recenset Moses Genes. 4. c. de sanguine Abelis, quando Dominus sceleratum & fratricidã Cainum ad se vocauit, ipsumque de fratre Abele quæsiuit, his verbis: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

CAP. II.

De Henocho.

HEnochus mortuus nõ est, sed quia ambulauit cum Deo, tulit eum Deus, & nõ amplius visus est, Gen. c. 5 exemplum emendandæ vitæ nationibus, Eccles. c. 44. per fidem Enoch fuit trãslatus, ne videret mortem, nec fuit inuentus, propterea quod transtulerat ipsum Deus, priusquam enim trãsferretur, testimonium meruerat, quod placuisset Deo. Epist. ad Hebr. c. 11. Iudæi dicunt iustum quidem fuisse, sed ad mala procliuem, ideo raptum, ne malitia mutaret animum. Nostri ob sanctitatem paradyso donatum, rediturum contra Antichristum. Pellicanus in comment. Gen. c. 5.

CAP. III.

De Mathusalemo.

AVgust. lib. de ciuitate Dei 15. c. 11 Detractis inquit 955. annis ab ortu Mathusalem vsq; ad diluuium, remanẽt quatuordecim, quibus vixisse creditur Mathusalem post diluuium, propter quod eum nonnulli, etsi non in terra, vbi omnem carnem, quam viuere in aquis non natura sinit, constat fuisse deletum cum patre suo Enoch, qui translatus fuerat, aliquantum fuisse, atq;

ibi

ibi, donec diluuium præterierit, vixisse arbitrantur; volentes derogare fidem codicib. quos in authoritatem celebriorem suscepit Ecclesia. Hæc ille. Sed rem hanc maxime dubiam censet lib. 7. de peccato originali contra Pelagium c. 23. his verbis: Quum quæritur, vbi potuerit Mathusalem viuere, qui in arca non fuit, qui, sicut in plerisque codicibus, & Græcis & Latinis numerantur anni, reperitur supervixisse diluuio: vel, vtrũ paucioribus, qui rarissimi inueniantur potius credendum sit, in quibus ita est numerus annorum conscriptus, vt ante diluuium defunctus fuisse monstretur: quis enim non sentiat, hanc variam quæstionem ad obscurissima opera Dei, & scripturæ apertissimas latebras pertinere, ac definire difficile esse?

CAP. IV.

De vxore Lothi.

VXor Lothi, quæ non sine maximo secreto anonyma in scriptura reperitur, ex transgressione mandati, quo egrediens, ne retro circumspiceret, iussa, in salis statuam, vel in hodiernum diem non sine horrore conspicuam, transformata scribitur, Gen. c. 19. Luc. cap. 17. quam conuersionem mali angeli, non sua vi, sed veluti ministri diuinæ voluntatis executores fecerunt, vt tenent ex autoritate D. Augustini L. Vairus de Fascino lib. 2. cap. 12. Laur. Ananias de natura dæmon. lib. 4. L. 4. Fuit hæc specialis & fatalis, vt Scribonius ait, à Deo conuersio, non enim fœmina ista deinceps formam suam recuperauit, vt Lothi vxor iterum fieret aut diceretur; sed omnino ob præmeritam vltionẽ perditio fuit; quod dubitans, an frustra ex vrbe migrasset, respexit post tergum; quod erat fidem abrogare Dei oraculo. Godelm. de Lamiis lib. 2. c. 3. n. 15 Fuit autem potius conuersa in statuam salis, quam aliam substantiam, vt pœna correspondere peccato, & vt in quo peccauerat, etiã puniretur; nam, vt refert Nicolaus Lyranus, secundũ Hebræos fœmina ista vespere præcedente noluit suo marito porrigere sal ad condimentum ciborum pro angelis, quoniam

niam instar conciuium suorum Sodomitarum affectũ ad peregrinos non habebat, idcirco in statuam salis est conuersa. Nec etiam iterum statua salis mutata est in hominem, sed mansit in sua natura. Et sic Iosephus lib. 1. antiq. Iudaic. c. 19. testatur, se eam vidisse, his verbis: Vxor Loth cum respiceret sæpe ciuitatem, & eius curam haberet, interdicente Domino ne faceret, in statuam salis conuersa dignoscitur: Vidi siquidem eam. hactenus enim manet. P. Binfeld. de confess. malef. 3 conclus. pag. mihi 208.

CAP. V.

De Moyse.

Moyses seruus Domini mortuus est quidem in terra Moab iuxta os Domini Et sepeliuit eum in valle in terra Moab contra domum Peor: & nullus hominum cognouit sepulchrum eius in hunc vsque diem, Deut. 34 Et nõ caligauit oculus eius, nec vigorem amiserat. Et Michael Archangelus aduersus diabolum certans disceptauit de corpore Moysis Epist. Iudæ & alibi legimus, abstulisse Deum de spiritu, qui erat in Moyse, & dedisse 70. viris. magnum hic latet, inquit Cornelius Agrippa, sed non temere reuelandũ mysterium. Hic præsentem se Christo in monte Thabor præbuit, & cum eo collocutus, Matt. 17. Luc. 9. Marc. 9. Gregorius Nysenus in lib. de vitæ perfectione, siue vita Moyse, in fin. lubet addere recitationẽ Mahometi falsam ac fatuã de Moyse: Itaque, ait gloriosus hic legislator pestifer Mahometus, Moyses cum solus per desertum vagaretur, forte sepulchrum apertum vacuumque inuenit recte ad qualitatem suam effossum, quod admirans cæpit ad propriã staturam metiri. Interea angelus mortis venit ad interficiendũ Moysen, quem cum cognouisset Moyses, quæsiuit ad quid venisti? Respondit; Missus sum pro anima tua; cui Moyses, quomodo ergo putas eam eripere? per os enim non poteris, quo locutus sum cum Domino, neque per aurem, cum quibus vocem Dei audiui, neque per oculos, quibus faciem Domini vidi, neq; per manus

quibus

quibus donum Dei recepi, neque per pedes, quib. montem Synai ascendi. His auditis abiit angelus Domini, formaque mutata, attulit pomum de paradyso, quod cum olfaciendo porrigeret, recepit Moyses, cumq; naribus apponeret, arripuit eum angelus per nares, per quas tanquam emungēs animam eius extorsit, quo facto, mansit corpus eius in sepulchro nunquam reperto. Ecce quam ridiculosa narratio, tam scripturæ sacrę, quā naturali rationi contraria, de qua Dionysius Ricelus Carthusianus contra Alchoranum & sectam Mahometicam lib. 3 Io. Marullus de sepultura Moysis à Deo populo Hebræo abscondita eo, ne incideret in idololatriā peccatum genti huic facile. Moysi sepulchrum, inquit ignoratur, sed vitæ illius integritas atq; sanctitudo, nullis vnquam oculis obliterabitur: quisquis illi similis esse curauerit, profecto non quærat, quo loco sepultus iaceat, sed vbi in sempiternum viuat.

CAP. VI.

De Korah, Dathan, & Abiram.

NVm. 16. c. Korah, Dathan & Abiram, cum insurgerent cōtra Moysen, aperuit humus os suum, & deuorauit eos cum omnib. quæ habebant, descenderuntque viui ad inferos operuitque eos terra, & perierunt de medio congregationis, Psal. 106. Deut. 11. Num. 26.

CAP. VII.

De Sareptanæ filio.

HElias Propheta viduæ Sareptanæ filiolum mortuum, post trinam admensionē & clamorem ad Dominum vitæ restituit. Exaudiuit enim Dominus vocē Heliæ, reuersaque est anima pueri in eum, reuixitque. 1. Reg 17.

CAP. VIII.

De Helia assumpto.

HElias quoque mortuus non est, sed Dominus subuexit illum turbine in cœlum curru igneo & equis

 igneis,

igneis, & inclinauit spiritus eius super Heliseũ, 2 Reg. 7. procella ignita sublatus est in curru equorum ardentium. Hic est Elias, qui procella tectus est, cuiusque spiritu repletus est Heliseus, Eccles. 49. Et hic cum Moyse apparuit Christo in monte Thabor, Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. De reditu ipsius ante magnum diem Domini quidam ex Propheta Malachia ad istum extendunt. Verum angelus Domini declarat id ad Ioannem Luc. 1. Lauat. de Spect. p. 2. c. 10. Ambros. de virg. lib. 1. Elias nullius corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus inuenitur, ideo ergo curru raptus in cœlum, ideo cũ Domino apparet in gloria, ideo Dominici venturus est præcursor aduentus.

CAP. IX.

De Heliseo, cuius oratione puer resuscitatus à mortuis.

PRopheta Heliseus, super quo requieuit spiritus Eliç, 2. Reg. 7. Sunamitidis mulieris puerum mortuum, ponendo os suum super os eius, & oculos super oculos eius, manusque suas super manus eius, calefacta carne pueri, vitæ eum restituit, 2. Reg. 2. Amplius mortuo Eliseo eodem, ipso anno grassatores Moabitę irruerunt in terram, contingit autem, quum quidam sepelirent hominem, viderentq; globum grassatorũ, vt proiicerent hominem illum in sepulcrum Elisei, qui reuolutus attigit ossa Elisei, & reuixit erectus in pedes suos, 2. Reg. 13. Hinc Ecclesiast. Corpus eius Prophetam egit, etiam post mortem miracula designauit, in vita sua defunctique facta miranda sunt, c. 48. Amplius refert B. Hieronymus ad Eustach. de vita Paulæ, ad sepulcrum Elisei, Ioannis Baptistæ, atque Abdiæ rugire consueuisse dæmones.

CAP. X.

De Propheta Ezechiele.

PRopheta Ezechiel iussu Domini ingẽtem supra modum exercitum ossium aridorum, neruis, carne, & cute

cute reinduit & obduxit, simul & spiritum à quatuor plagis inflare in istos interfectos iussit, vt viuerent, venitque in eos spiritus, vixeruntque & steterũt super pedes suos, Ezech. c. 37.

Spiritualiter.] Hæc visio satis aperte indicat resurrectionem mortuorum, vt per ossa, quæ Propheta vidit in campo, intelligantur omnia humana corpora, quæ tumulata manent in vniuerso mundo, suis spiritibus denudata. Cum vero venerit dies illa, in qua filius hominis, cui datum est iudicium facere, suam ostẽdet potentiam, tunc qui in monumentis sunt audiẽt vocem eius. Et tunc terra, mare, & infernus dabunt mortuos suos à quatuor ventis terræ, scilicet ab oriente, illos videlicet, qui circa ortum & infantes mortui sunt. A meridie, scil. qui in iuuentute decesserunt. Ab Aquilone sc. qui vsque in senectutem vixere, & ab Occidente, id est, qui ad decrepitam senectutem vixere, & ab Occidente, id est, qui ad decrepitam ætatem peruenientes defecere.

CAP. XI.

De Propheta Iona.

PRopheta Ionas cum fugiens à facie Domini nauigaret Tharsum suborta tempestate, à nautis per sortem in mare deiectus est, & à pisce magno deuoratus, in cuius visceribus tribus diebus, & tribus noctibus fuit, mandatu autem Domini piscis Ionam rediuiuum euomuit in aridam, Ion. c. 1. & 2. & vt Hieronymus testatur, tenuere aliqui, hunc Ionam fuisse viduæ istius Sareptanæ filium, 1. Reg. 17. ex eo, quod sese nominet filium Amithai, id est, filium Veri, quia mater eius ad Eliam dixerat: Nunc noui quod vir Dei es, & verbum Domini in ore tuo verum est. Hunc Ionam saluator noster Iesus vt typum veræ resurrectionis adducit, Matt. 12. Quemadmodum enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus ac trib. noctibus, sic erit filius hominis in penetrali terræ tribus diebus ac tribus noctibus, Luc. 11. Epist. 1. ad Corin. 15. Cetum illum aliqui tenẽt fuisse Lamiam Ein

Merchandt, Gesner. in lib. de pisc. fol. 82. Michael Bapst in lib. mirab. medic. fol. 29. 30. &c.

CAP. XII.

De Iairi centurionis filia.

SAluator & redemptor humani generis in nouo Testamento plurima edidit miracula mortuorũ, quorum primum recenset Euang. Matth. c. 9. Marc. 5. Luc. 8. vbi Centurionis Iairi filiam mortuam vitæ restituit.

CAP. XIII.

De filio viduæ Nainæ.

SEcund. enarrat Euang. Luc. 7. c. vbi filium vnigenitum viduæ Nainæ, cuius iã funus ducebatur, à mortuis resuscitauit.

CAP. XIV.

De Lazaro.

TErtium exemplum refert Euang. Ioan. c. 11. vbi Lazarum Bethaniensem, fratrem Mariæ & Marthæ, iam quatriduanum in monumento resuscitauit. Hic est quasi pignus veræ nostræ resurrectionis, quæ futura est nouissimo die. Secundum Epiphanium Lazarus post mortem in vitam à Christo reuocatus totidem annos vixit à resurrectione, quot ante compleuerat, nempe triginta.

CAP. XV.

De Saluatore Iesu Christo.

QVartum exemplum ipsemet Saluator in se sua propria virtute exhibuit, post triduum resurgendo à mortuis, testante id angelo Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20. & accidit etiam singulare miraculum post eius mortem, vt enim viderunt eum mortuum Iudæi, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius fodit, & continuo effluxit sanguis & aqua, Ioan. 19. Sanguis in precium redemptionis, aqua in lauacrum rege-

neratio-

nerationis, vt dicit Augustinus super Ioan. Exiuit autem sanguis purus, qui fuit verus & naturalis, licet fortassis effluxus eius de corpore mortuo fuerit miraculosus. Nō enim potest fluere sanguis de corpore mortuo iam infrigidato, in quo magis congelatur, quam fluat. Verum vtrum tunc Christi corpus mortuum fuerit ita infrigidatum, vt sanguis in eo remanens naturaliter congelaretur, an non, dubium est, ac per hoc manet dubium, si sanguis ille Christi verus & naturalis effluxerit naturaliter, an miraculose? Et aqua pura & vera non humor aquaticus, qui secundum Nicolaum de Lyra miraculose exiuit. Exiuit autem secūdum Simonem de Cassia, aqua non cum sanguine mixta & indistincta, neque enim potuisset ab aspicientibus comprehendi, si mixta cum sanguine fluxisset, nec dispertita vena, vt diuisa, nā sanguis ab aquæ vena eadem hora similiter ex eodem foramine fluxisset. Sed ilico aperto latere prius exiuit sanguis in mensura determinata soli Deo cognita, sed non nobis, aut forte totus sanguis effluxit ex illo diuino corpore in signum totius amoris effusi, deinde aqua alto miroque mysterio. Hæc Simon de Cassia, literaliter tamen aqua post sacrosanctum sanguinem effluens, signum esse poterat totalis effusionis sanguinis Christi. Gabriel Biel in sermone passion. hist. art. 4. p. 4.

CAP. XVI.

De mortuis resurgentibus post mortem Christi.

EXemplum & miraculum quintum recenset Matth. cap. 27. vbi post obitum Christi monumenta aperta sunt, multaque corpora sanctorum, qui dormierant, suscitata sunt & egressi è monumentis post resurrectionē eius intrauerunt in sanctam ciuitatem & apparuerunt multis. Qui autem sancti illi fuerint, qui surrexerunt, & an in hac præsenti vita aliquandiu manserint, iterumq; mortui sint, vel cum Christo in cœlos migrarint, consule Augustin. epist. 99. ad Euodium, & lib. 3. de mirabilib. scripto. c. 13. Lauat. de spectris p. 2. c. 10. Et monumenta

aperta sunt, & multa corpora sanctorũ, &c. non tunc, quando monumenta aperta sunt, sc hora mortis Christi, sed post quando resurrexit, tunc cum eo surrexerũt, tanquã testes suæ resurrectionis, vt vult Hieronymus, vt sic Christus esset primogenitus resurrectionis ex mortuis, propter quod in Apocalypsi dicitur primogenitus mortuorum, & *1 Corinth. 5.* Christus surrexit à mortuis primitiæ dormientium, & hoc est, quod subditur: Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Gabriel Biel *in sermone passionis historial. art. 4 part. 4. de his quæ acta sunt in apertione lateris Christi.*

CAP. XVII.

De Thabitha.

EXemplum sextum edidit Apostolus Petrus, quando Ioppe discipulam Tabitham siue Dorcadam defunctam vitæ restituit. Actor. 9.

CAP. XVIII.

De sancto Ioanne Euangelista.

VT refert Thomas Cantipratanus in libro miraculorum & exemplorum sui temporis (*vetus Boni vniuersalis inscriptio est*) *secundo c. 53. § 1.* cum secundum quod primo homini dictum est *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, corpora generaliter in puluerem resoluũtur, ab hac conditione excipitur corpus Christi, quod non vidit corruptionem, quia die tertia resurrexit. Inde etiã *secundum veridicum Augustinum*, corpus excipitur matris Christi, & vt firmiter credimus, Euangelistæ Ioannis, qui sicut fuerunt socii passionis, ita iuste sunt & consolationis cum Christo iam immortalitate vestiti, huc vsq; Cantiprat. *Gregorius Colueneriue in annotationibus ibid.* Nõ vult autor B. Ioannem non esse mortuum, quæ multorum sed falsa fuit opinio, cõcepta ex verbis Christi male intellectis Ioann. vlt. Sed vult eum resurrexisse,

sicut

sicut & P. virginem, ex quo sequitur vere mortuum fuisse. De morte eius testis est Tertullian. *lib. de anima*, his verbis: *Obiit & Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra spes erat*. Item Euseb. *lib. 3. histor. eccles. & in caput 20. Matth. Augustinus tract. vlt. in Ioan. aliique complures*, quos videre est in notis Baronii ad Rom. Martyrolog. 27. *Decemb. & in annalib. tom 2. anno 101.* de resurrectione eius cum autore sentit Thom *in 4. distin. 43 & alii quidam in eadem dist.* Item Nicephorus *hist. eccles. lib. 2. c. 42.* vbi modum rei gestæ describit. Idem plurimos asseuerare apud Hieronymum testatur sermo de assumptione B. Mariæ.

CAP. XIX.

De S. Ioanne Euangelista.

TRadunt S. Ioannem Euangelistã non fuisse defunctum, eique rei videntur assentiri Euangelica verba Ioann. 21. *Nunquid ita est, an potius resurrexit*. Ex B. Augustini sententia *tract. super Ioan. 124.* videtur potius defunctus, quandoquidem seipsum in sepulcro sponte collocauit, vt hanc sententiam de hominum cordibus remoueret, scilicet se non moriturũ. Propterea S. Thomas *super Ioan. c. 2.* sic habet in absolutione huius quæstionis, *Verum quidem esse ex omniũ sententia, quod sponte viuens sepulcrum subierit, & quod mortuus fuerit, & resurrexerit corpore*. B. Petrus Damianus Cardinalis *in sermon 2. de S. Ioanne* sic habet: Vt historiæ continent, Sanctus Ioãnes in Ecclesia quadratam foueam fieri iussit, moxque in eam descendens, extensis manibus post prolixa fusæ orationis verba migrauit, postmodum vero inuenta est fouea nihil aliud in se continens, nisi manna, quod vsque hodie scaturire non desinit. Et mox: Vnde pium est arbitrari, vt beatus Ioannes jam resurrexisse probabiliter asseratur.

CAP.

De Eutycho.

SEptimum exemplum edidit Apostolus Paulus in Troade, quum ibi dissereret, pertraheretque sermonem vsque in mediam noctem, sedens quidam adolescens, nomine Eutychus, in fenestra, dum degrauaretur somno profundo, disserente diu Paulo magis depressus somno decidit ex tertio cœnaculo, & sublatus est mortuus. Cum descendisset autem Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim eius in ipso est, adduxerunt autem puerum viuentem, & refocillati sunt non mediocriter, Actor. 24. 10.

DE MIRACVLIS MORTVORVM PARS SECVNDA.

VT in aliis multis, ita maxime in mortuis diabolus Deum solet æmulari, & quod cadaueribus dæmones gaudeāt, minus cuiquam mirum videri debet, maledictione enim diuina sub serpētis forma, cunctis diebus vt terra vescerētur ipsis iniunctum est. Hinc & angelum Michaelem cum dæmone altercatum ferunt de corpore Moysis, angelo asserente, id ad eum minime pertinere, ex quo faciem Dei videri, illumque coram alloqui meruisset. quo etiam magis dæmones à defunctorum corporibus abstineant, ab antiquis Patribus introductum est, vt monumenta eorum subinde lustrali aqua aspergantur, quam tantopere hunc corporum principē (sic enim Cabalistæ diabolum vocant) refugere asserunt. Et impios ex permissione Dei quandoque miracula edere, testatur pagina sacra Exod. c. 7. & 8. Deuter. 13. Matth. 7. 24. Marc. 13. 1. ad Thessal. 2. Apoc. 13. 16. 19. Audimus etiā non raro mortuorum corpora e sepulchris per dæmones sublata, id quod ex seqq. manifeste patebit.

CAP. I.

De Pythonissa Endorana Samuelem resuscitante.

EXemplum reperire est 1. Sam. 28, quod Pythonissa quædam, Saulis iussu, belli exitum præuidere satagentis, Samuelis Prophetæ animam in vitam, & ad superos reduxerit. Hic disputant Theologi & Iurisperiti, num veridica Endorana verum Samuelem exuscitauerit nec ne? Lyra, Burgensis, Galatinus, Natalis, Taillepied de appar. spirituum c. 23. & alii plures, putant verum fuisse Samuelem, partim ex textu ipso, partim ex dicto Syracid. cap. 46. qui dicit (*etiam post obitum suum vaticinatus est, & Regi interitum ipsius indicauit, vocem suam è terra sustulit, scelera populi delenda vaticinans*) Ioannes Bodinus Iurisp. dubium habet lib. 2. c. 3. de dæmon. dum ita scribit; *Non sum nescius, placere quibusdam Theologis, diabolum fuisse istum. & non Samuelem, sed bona pars refragatur, freta d. loc. Eccles. 46 qui narrat in Samuelis laudibus, ipsum post mortem prophetasse, pranunciata morte Regis & Philistaorum victoria. In eadem sententia est Iustinus martyr, Rabbi Sedias, & Hebraorũ plerique, & iis obseruandum est illud suffragari, quod responsio per Samuelis imaginem, quem Samuelem putant, Sauli facta, magnum Iehoua nomen habet quinquies repetitum, quod etiam audire damones perhorrescunt, ideoque iudiciũ Dauidi Kimchi in hunc locum, neque Tertulliani lib. de anima, neque Augustini complecti possum, statuentium hũc fuisse diabolum, nec aduersantem huic sententiam plane confirmare. Hactenus Bodinus* cum quo sentiunt omnes fere Hebræorum Mechubales, qui re ipsa contigisse asserunt, nam ante annum, animas ob laborem. matribus nouem per menses exhibitum, nullo, nisi hoc Portarũ circulo completo, loco miseras reputare affirmant, cuius sententiæ & hodie quidam videntur esse, qui ab amicis animam exhalantibus dexteram porrigi petũt, quod scilicet post discessionem animarum eorum conspectũ exposcere volunt, vt refert Anan. de nat. dæmon. lib. 3. Quod etiam Augustinus ad Simplicianum fieri potuisse

non

non negat, quod verus fuerit spiritus Samuelis, qui ante completum annum à discessu ex corpore facile euocari potuit, vt docent Goetici, ideoque antiqui patres rerum spiritualium periti non sine causa ordinarunt, vt corpora mortuorū sepelirentur in loco sacro, & luminibus socientur, aqua benedicta adspergantur, thure incenso suffumigentur, & expientur orationibus, quousque super terram extiterunt, teste Agrippa *lib. 3. cap. 41. de occult. philos.* sed est communis Theologorum & veterum & recentiorum sententia, spectrum seu diabolum fuisse, non verum Samuelem. Primum, quod non sit credibile, animas iustorum in manu Dei positas, & sub potestate diaboli esse, & Pythonissæ mulieris satanæ spiritu plenæ, quia & Saul & mulier faciebant contra mandatum Dei, *Deut 18.* Nec credendum est; quod cum S.S. per Moysen prohibuerit veritatem à mortuis querendam, *Leuit. 19. 20. Esa 8.* postea Sauli permiserit, vt ex Samuele resuscitato discat, quid sit futurum, & Saul ipsemet fatetur, Deum à se discessisse, & non respondere; neque per Prophetam, neque per somnia. Tertio, quod in tota scriptura nullum proditur exemplum de mortuis interrogandis, & *Luc. 16.* cum epulo in tormentis rogaret patrem Abrahamum, vt mitteret Lazarū mortuum in domum patris ipsius, denegat hoc ipsi Abrahamus dicens: *Habent Moysen ac Prophetas, audiant illos.* Quarto, quia si Samuel vir iustus apparuisset, non vtique permisisset se à Saulo adorari, qui prædicauerat solum Deum adorandum. Et quamuis hic soleat respondeti, quod Saulus non voluerit illi tribuere honorem, qui quasi Deo debetur, sed honorem ciuilem, quo Reges & eximios homines prosequimur, nam in Hebraico textu est vocabulum Schacha, quod significat idem quod genua flectere, & ad pedes alicuius procidere. At non omnis inclinatio in terram & incurnatio est illa erga homines interdicta adoratio. Quinto, quia vir Dei Samuel, qui cum Abrahamo in refrigerio erat, & exoptatissima cum omnibus piis fruebatur quiete, non dixisset ad virum impium, dignum ardore gehennæ,

Cras

Erat mecum eris. Szegedinus *in loc.commun. de Magia* *Augustin.*& plurimi quos numerose allegat in hoc puncto *Godelm.* (At de morte dixerit Samuel non de loco mortuorum.) Non igitur inquit Augustinus, Tertulliano aliisque orthodoxis authoribus non paucis in hoc consentiens, ea ad veri rationem rapienda sunt, sed potius ad visum & intellectum Saulis, qui factus reprobus de ea recte sentire non potuit. Nec ad rem facit, quod ipsa sacræ paginę litera Samuelem resuscitatum dicat, cum non sit infrequens ipso signato pro signo scripturam vti, vt pulcre ostendit Petrus Thyræus *de spirit. apparit. libro primo, cap.4. num.70. & cap.10. num. 191. cap. vndecimo. num. 202. 203*, tum quia tam Saul quam Pythonissa Samuelem esse opinabantur. Et certe eam narrationem exponens Zonaras, vir Christianæ veritatis obseruantissimus, non euocatos Manes Samuelis dicit, sed tantum visos euocari, & spectrum hoc, non etiam animam Samuelis appellat, siquidem, vt diserte statutum in vltimo capite Ancyran. Synodi reperitur: *Quæ per incantationes fiunt, non vere dicuntur fieri & in corpore, sed tantum in spiritu & specie quadam, quæ oculos fallaciter feriat*, aut si solidum adeoque humanum aliquod corpus subest, id vita prius exutum ὀργανικῶς κινεῖσθαι, vt ait Vitruuius, eius videlicet molem intus agitante dæmone, perinde atque ἐν αὐτομάτοις, dædaliisque organis euenire videmus, cum metalla, vt inquit Cassiodorus *in libro variar.* mugiunt, ænei serpentes insibilant, aues simulatæ, ac propriam vocem nescientes, habere dulcedinem tamen cantilenæ probantur emittere. Ita ranæ & serpentes à Magis factæ dici possunt, cum harum rerum simulachra quædam dæmones fingerent, & astantium oculos, vt veras ranas, serpentesque putarent, perstringerent, iuxta illud Augustini *libr. decimo octauo de ciuitate Dei*.

Neque sane dæmones naturas procreant, si quid tale faciunt, de quo hæc vertitur quæstio, sed

specie

ſpecietenus quæ à Deo ſunt creata, commutant, vt videantur eſſe quod non ſunt. Quodq; dæmonum potius fuerit præſtigiatrix illuſio, vbi haut res ipſa, vt apparet, exiſtit, at aſpicientium oculi ligãtur, vel ex ibi ſubſeqq. colligere eſt, quod animę nullo, niſi quatenus informãt corpora, motu moueant, nec ſemel à corpore diſſolutæ, vt iterum illi coniungantur, vlla arte pręſtari queat, adde nec vi aliqua, cum hoc ſolius diuinæ, ſit poteſtatis, ergo nec reuocare illas poſſibile eſt, nec vt proprio cadaueri conglutinentur, nec etiam phantaſtico, vero ementito, nec hoc ipſis dæmonibus, cum in eorum poteſtate non ſint, niſi quatenus duntaxat affligantur, datur, cum tantummodo tortores, executoresque meri diuinę iuſtitię exiſtunt, quo ad finem mundi vſque. Si enim animas hinc inde & educere, & reducere integrum eſſet, minime tum iuſtitię diuinæ ſatisfieret, locis deſtinatis, cuilibet ad illorum libitum mutandis. *Anan. de natur. dæm. lib. 3. Vairus de Faſcino lib. 1. c. 12 Remmig lib. 2. dæmonol. ſag. c. 1. Domin Soto de iuſtit. & iur. lib. 8 q. 3. art. 2. p. 796. P. Binsfeld. de confeſ malef dub. 1 in fin. Lauat. de ſpectris p. 2. c. 7. & 8.* Sed hic forte quærendum eſt: Quomodo occiſus reſurgere, viuere, loqui, & equitare dicatur, & reſpondet *Thom. Cantipratanus in lib. miraculorum 2. c. 49. §. 7.* quod in vita beati Benedicti Abbatis aſſertio S. Gregorii Papę ſufficiat, vbi dicit, piſtoris mortui corpus de tumulo ſurrexiſſe, & reuerſum ad propria ad pinſendum familiam excitaſſe. Poſſumus tamen, ſaluo iudicio meliori, probabilem ſatis reddere rationem. Manente adhuc mortui corporis organiſmo velut veſtem homo, corpus organizatum poteſt diabolus ſubintrare, & ad voces & verba fauces reformare. Non in longum tamen hoc poteſt, quia naturam corporis fluxibilem ſine anima vegetabili in robur debitum conſeruare non poteſt, quin ad lentato humore citius corrumpitur.

CAP. II.

De Appione Grammatico reſuſcitante Homeri manes.

Reſe-

REferunt de Appione Grammatico, quod Homeri manes longo iam tempore, postquã erat vita functus, ab inferis reuocauerit, quo patriam, & nonnulla, quæ in suis scriptis reliquerat dubia explicaret. *Godelm. de Nicrom. lib 1. c. 4. n. 14. Anan. de nat. dæm. lib. 3. Plinius lib. 30. c. 2.* Plinius autor est, Appionem Grammaticum herba Cynocephalææ ad incantationes efficacissimæ, sed cuius effossio multis sæpe præsentaneam adferat mortem, tum magicorum characterum, & susurrorum virtute Homeri vmbram ab inferis euocasse, deque patria & parentibus interrogasse, eius tamen responsa aliis referre noluisse.

CAP. III.

De Onia & Hieremia apparentibus.

L*Ib. 2 Macch. c. vlt.* Iudas Macchabæus vidit Oniam & Hieremiam sibi gladiũ porrigentẽ pro victoria.

CAP. IV.

De Vlysse euocante Achillis vmbram.

LEgimus apud Poetas & huiusmodi rerum narratores, animas mortuorum non euocari absque sanguine & cadauere. Vmbras autem ex illorum fumigiis facile allici, additis ouis, lacte, melle, oleo, vino, aqua, farina, tanquam aptum medium pręstantibus animab. ad sumenda corpora, quemadmodu hæc apud Homerum longa institutione docet Ceres Vlyssem. Arbitrantur autem hæc non nisi in his locis fieri posse, vbi huiusmodi animæ plurimum versari dignoscantur, vel propter cognatum aliquod sicut corpus relictum alliciens eas, vel propter affectum aliquem in vita quondam impressum animam ipsam ad certa loca trahétem, vel propter loci alicuius tartaream naturam, iccirco purgandis vel puniẽdis animis aptum, cuiusmodi loca plurimum experientia visionum, nocturnarumq; incursionum & consimilium phantasmatum occursione cognoscuntur, aliqua per se satis nota sunt, vt cœmiteria, & loca illa, in

quibus fieri solet executio criminalis iudicii, & in quibus recentibus annis publicæ strages factæ sunt, vel vbi occisorum cadauera non rite sepulta recentioribus annis subhumata sunt, &c. Sic Vlysses apud Homerum *Odyss*. γ. euocauit Achillis vmbram.

CAP. V.

De vmbra Creusæ coniugis Æneæ.

VT Maro recenset *lib. 2. Æneid.* Creusa post direptã & incensam Troiam Æneæ apparuit, ipsique aduentum in Latium prædixit,

Quærenti, & tectis vrbis sine fine furenti
Infelix simulacrum atque ipsius vmbra Creusæ
Visa mihi ante oculos, & nota maior imago,
Obstupui, steteruntq; comæ, & vox faucibus hæsit.
Tum sic affari, & curas his demere dictis:
Quid tantum insano iuuat indulgere labori
O dulcis coniunx? non hæc sine numine Diuum
Eueniunt, nec te hinc comitem asportare Creusam
Fas, haut ille sinit superi regnator Olympi,
Longa tibi exilia, vastum maris æquor arandum
Ad terram Hesperiam venies, vbi Lydius arua
Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.

CAP. VI.

De Appollonio Thyaneo.

SIc Appollonius Thyaneus eiusdem Achillis manes consuluit de rebus ad Troiam gestis: Non, inquit, sicut Vlysses terram effodiens agnorum sanguine manes Achillis eduxi, sed omnes adhibui preces, quas placandis heroum animabus sacerdotes Indorum dici iubent, *Horat. lib. 1. serm. Sat. 8.* Idem quoque Romæ mortuam puellam verbis occulte pronunciatis nuptiarum die vitæ restituisse legitur. Cuius præstigias à scripturis sanctis quæ à populis idolatris corruptæ fuerunt, veluti nonnullas poetarum fabulas, & gentilium scripta originem duxisse cum Paulo Orosio arbitrari quis posset. Quem Appollonium, cum Philostratus tot mira de Sal-

uatore nostro audiuerit, illo argumento vtens extollere voluit, vt scribendi materiam haberet, vti nonnulli censent. D. vero Augustin. *de ciuit. Dei c. 19. lib. 8.* illum Magum fuisse affirmat, Romanisque legibus apud Domitianum Cæsarem de Magia postulatum fuisse, sicut Apuleium apud Claudium Maximum Africæ præfectũ. *Vair. lib. 3 de Fascino c. 1.*

CAP. VII.

De Thessala vate, Erichtone, Phigaliæ Magis, Hercule, Cynope, Heraclea.

APud Lucanum *lib. 6.* de Thessala Erichthone illa malefica habetur, quod mortuum euocauerit, qui Sexto Pompeio omnem Pharsalici belli euentum prædixit. Hinc necromantia nomen habet, quia in mortuorum cadauerib. operatur, ac per manes & mortuorum vmbras, subterraneosq; dæmones responsa petit, alliciens illos in mortuorum cadauera; per Stygia quædam carmina, & infernales inuocationes, perque feralia sacrificia, & impias immolationes, quales apud Lucanum legimus. ¶ Erantque in Phigalia Arcadiæ ciuitate quidam Magi sacerdotes, sacrorum peritissimi, & animarum quæ vita functæ essent, euocatores. *Nicol. Leonicus de var. histor lib. 2. cap. 41.* ¶ Sic & Alcestis narratur ab Hercule resuscitata, rursum diu vixisse. ¶ Sic in Pathmo insula vrbe Pharan Cynops insignis fuit Magus, de quo dicebatur: *Magnus es Cynops, & nemo præter te.* co, quod etiam mortuos resuscitare crederetur, cum dæmones essent, qui assumpta humana figura obambulabant, & se visendos præbebant. Sed Apostolus Ioannes imposturam agnoscens, dicebat; *In nomine Domini nostri Iesu Christi ex hac insula egredimini, nunquamredituri*, & confestim ex omnium oculis dispaiuerunt. ¶ Plutarchus scribit in vita Cimonis, Pausaniã capto Byzantio virginẽ nobili genere natam Cleonicen nomine accersisse ad turpẽ cõsuetudinẽ, parẽtes necessitate quidem ac metu filiã suam dimisisse, eã vero ab iis, q ante cõclaue seruabãt, impetrasse, vt lumẽ remouerẽt,

atque ita in tenebris, cum silentio accedentem iam ad lectum, Pausania iam dormiente, offendisse ad candelabrum, idque euertisse inuitam, perturbatum autē strepitu Pausaniam eduxisse appositam sicam, & quasi inimicum adoriētem se percussisse, & prostrauisse virginē illam. Quam de ictu eo mortuam non siuisse requiescere Pausaniam, sed simulacro quodam nocte obuersantem, ipsi in somno pronunciasse iracundū versum hunc heroicum

Στεῖχε δίκης ἆσσον μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

Ius subeas, valde est iniuria res mala cunctis.

Id facinus, vel maxime ęgre ferētes socii, duce Cimone, oppugnando ipsum eiecerunt, isque amisso Byzantio, quum, vt fertur, pergeret, visum illud turbare eum, confugit ad necromantiā Heracleæ, vbi anima Cleonices euocata, iram illius fuit deprecatus. Hęc vero & conspectui eius sese obtulit, & breui fore dixit, vt malum illud cessaret vbi Spartam rediisset: tacite nimirum indicans mortem ipsius, &c. Hic Pausanias ante modeste se gesserat, postea elatus victoriis, tyrānice res administrauit, ideo quum Ephori eum in carcerem ducturi essent, fugit in templum, in quo conclusus fame cōtabuit. *Nicol. Leon supra cit loco. Natalis Taillepied, de appar. spirit c. 8. p. 77. 78.*

CAP. VIII.

De Mare tertium reuiuiscente.

MAres ex Erypia, qui tempore Noachi vixit, in Italia, fuit pedibus equinis, sed deformitatem corporis, animi donis, sapientia, ingenio, prudentiaque superauit. Hic dicitur vixisse annos 120. & tertium à morte resurrexisse. *Ælian. Conradus Lycosthenes in lib. I. mirac. Dei. p. mihi 10.*

CAP. IX.

De Simone Mago.

TAlis quoq; præstigiator fuit Simon Magus Samaritanus, qui Neronis oculos & totius cœtus sic fascina-

ſcinauerat, vt arietem Simonis loco carnifex decollaret. De hoc mago multa ſcribunt veteres, velut Irenæus *lib. 1.c.10 Euſeb lib.2.c.12. Egeſippus lib.3.c.2. de excidio Hieroſolym. Auguſt.86. Epiphanius lib.1. contra Simon.* tãtum venerationis adeptus eſt, vt ſtatua ei cum inſcriptione poſita ſit: *Simoni Deo ſancto.* Haymo vero Halberſtad. hiſtor. ſacr. epitome *lib.2 c.20*, quo ad locum inter duos pontes Tyberis variat, quam Romæ in inſula Tyberina, ante templum S. Bartholomæi inueni lapidi quadrato inciſam,

Semoni Sanco Deo fidio Sacrum
Sex. Pompeius S.P F. Col. Muſſianus
Quinquennalis Decur. bidentalis donum dedit.

Verum Semoni illi Deo aſſcriptam duco, de quo Ouid. *6. Faſtor.*

Quærebam Nonas Sango Fidione referre
An tibi Semo pater: tunc mihi ſanctus ait,
Cuicunque ex iſtis dederis: ego munus habebo,
Nomina terna fero: ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini
Inque Quirinali conſtituere iugo.

Conſuluit ſuper hac inſcriptione, quum reperiretur anno 1574. ad Tyberis ripam, Iulius Iacobinus M. Antonium Muretum aſſeuerantibus quibuſdam, lapidem Simonem illum Magum deſignare. *R Muretus* mentionẽ Semonis Sangi Fidii eſſe apud Liuium *lib.8.* his verbis: *Bona Semoni Sango cenſuerunt conſecranda*, mentionem eiuſdem apud Halicarnaſſ. *lib 4* apud Auguſt. *de ciuit. Dei.* & fuit Rex Sabinorum, quem mortuum retulerunt in Deos, vt eſt apud Lactant. *lib.1.c 15.* mentio eius & apud Siluium Italicum, apud Feſtum *in dictione propter viam. apud Fulgentium in lib. de vocab. antiquis vide M. Anton Muret.* librum epiſtolarum nunquam antehac editum *epiſt.81. & 82* vide varias lectiones in Faſt. Ouidii *ex manuſcript. Codicib. p. mihi 442.*

CAP. X.

De Cithariſtria Bononienſe.

PEucerus *de diuinat. gen. c. quæ fuit prima diuinat. &c.* refert Bononiæ fuisse Citharistriam virginem caram multis propter artem, quam vita functam Magus quidam alligato ad alas fascino, ad eum modum diabolo colludente adornarat, vt cœtus hominum, congressus publicos, & conuiuia frequentaret, caneret fidibus consueto more, nec à viuis differre videretur, etsi palleret plus nimio. Incidit in hanc forte alius quispiam Magus, & animaduersa Diaboli monitu impostura: *Cadauer est* inquit, *ista*, fascinumq; sustulit. Eo amoto, statim ipsa ad terram collapsa, iacuit exanimis. *Sic sæpe alias ludit Diabolus*, inquit Peucerus, *nequit tamen semel extinctis halitus adflare vitales & solutam carcere ac vinculis corporis animam reddere.*

CAP. XI.

De Maria Burgundica.

DE Ioanne Trithemio, Abbate Spanheimense sequentem historiam Augustinus Lercheimer *in suo Germanico tractatu*, **von der Zauberey**, Heydelbergæ edito recenset. Maximilianus I. Imper. coniugem suam Mariam Burgundicam ardētet admodū amabat, eamq; mortuam lugebat vehementissime. Hoc Abbas Magus videns, promittit Cæsari se in medium producturum defunctam, si eius maiestati ita placeret, vt eius consuetudine frueretur. Annuit Imper. itur in conclaue quoddam remotius, adiuncto tertio, Magus, ne quis verbum præsente spectro proferret, interdixit. Ingreditur spectrum pedetentim. Imp. miratur omnium membrorū conuenientiam, recordatur verrucæ in ceruice cōiugis. sed & ea quoque obseruanti apparuit. Horruit tandem Imperator, & spectrum remoueri nutu Mago mandat, & cum indignatione ait: *Monache, talibus imposterum abstinere iubeo*, addens etiam, quam difficulter linguam cohibuerit, & vocem compresserit, quæ si erupisset, de vita tanti Imp. actum fuisset.

CAP.

CAP. XII.

De Margaretha à Roth Abbatissa Etestettensi.

SVb Maximiliano I. prope Augustam circa annum 1503. apparuit Empusa siue spectrum in forma Margarethæ à Roth, Abbatissæ Etestettensis, quod non tantum videri & palpari, verum etiam loqui significantissime potuit, recenset Thomas Erastus *in disputat. de Lamiis.*

CAP. III.

De Bauarica muliere reuiuiscente.

MEmorabile refert exemplum Georgius Sabinus *in not. ad Metamorph. Ouid. lib. 10. fab. 1. de descensu Orphei ad inferos:* Ferunt in Bauaria virum nobili familia natum, extincta vxore, tantum animo dolorem concepisse, vt nullam admitteret consolationem, ac vitam ageret in solitudine. Tandem vbi nullum finem lugendi faceret, vxorem eius comparuisse excitatam à mortuis, ac dixisse: Se quidem semel confecisse circulum vitæ à natura datum, sed importunitate ipsius reuocatam nunc esse in vitã, atq; à Deo iussam, vti eius cõsuetudine adhuc diutius frueretur, hac tamen cõditione ac lege, vt matrimonium morte solutum denuo per sacerdotem solemni ritu iungeretur, vtque deinceps ipse abstineret blasphemis conuiciandi verbis, quibus vti consueuerat, se enim horum causa ei ademptam fuisse, atque iterum excessuram è vita, cum primum eiusmodi aliquod edidisset. His actis illam curasse rem domesticam, vt antea, & aliquot etiam peperisse liberos, semper tamen fuisse tristem ac pallidam, post multos vero annos maritum vesperi potum, & ancillæ iratum, edidisse verba, quæ non debebat, interea illam disparuisse è cubiculo, vnde allatura erat marito poma, ac reliquisse muliebrem vestitum sine corpore stantem, quasi phantasma ad cistam, vbi poma seruabantur. Hæc dicit se audisse ex multis viris fide dignis, qui affirmabant

Ducem Bauariæ eadem retulisse Duci Saxoniæ proceris, & addit notand. *in amore coniugali cauendum, ne conficiantur luctu & desiderio mortuorum.*

CAP. XIV.

De Carolo Magno & eius amasia.

REfert Franciscus Petrarcha *in epist famil. lib 1. ep. 3.* hanc historiam: Vidi, *inquit*, Aquensem Caroli sedem, & in templo marmoreo verendum barbaris gentibus illius Principis sepulcrum, vbi fabellam audiui non inamœnam cognitu, à quibusdam templi sacerdotib. quam scriptam mihi ostēderunt, & postea apud modernos scriptores accuratius etiam tractatam legi, quam tibi quoque vt referam incidit animus: ita tamen, vt rei fides non apud me quæratur, sed vt aiunt, penes autores maneat. Carolum Regem, quem Magni nomine æquare Pompeio & Alexandro audent, mulierculam quandā perdite & afflictim amasse memorant, eius blanditijs eneruatum, neglecta fama (cui plurimum inseruire consueuerat) & posthabitis regni curis, aliarum rerum omnium, & postremo suiipsius oblitum, diu nulla in re prorsus, quam nisi illius amplexib. acquieuisse, summa cum indignatione suorum, ac dolore. Tandem cum sanæ spei nihil superesset, (quoniam aures Regias salutaribus cōsiliis insanus amor obstruxerat) fœminā ipsam malorum causam insperata mors abstulit, cuius rei ingens primum in regia, sed latens gaudium fuit, deinde dolore tātum priore grauiore, quantum fœdiore morbo correptum Regis animum videbant, cuius nec morte lenitus furor: sed in ipsum obscœnum cadauer & exangue translatus est, quod balsamo & aromatibus conditum, onustum gemmis & velatum purpura diebus & noctibus, tam miserabili, quam cupido fouebat amplexu, dic iam sequitur quam discors, & quam male se compassura conditio est amantis ac Regis, nunquam profecto contraria sine lite iunguntur. Quid est autem regnum, nisi iusta & gloriosa dominatio? contra quid est amor

nisi

nisi fœtida seruitus & iniusta. Itaque cum certatim ad amantem seu rectius ad amentem Regem, pro summis regni negotiis legationes gentium, præfectique & prouinciarum præsides conuenirent, & in lectulo suo miser omnib. exclusis & obseratis foribus, amato corpusculo adhærebat, amicam suam crebro velut spirantē, responsuramque compellans, illi curas laboresque suos narrabat, illi blandum murmur & nocturna suspiria illi semper amoris comites lachrymas instillabat, horrendum miseriæ solamen, sed quod vnum ex omnibus Rex alioquin (vt aiunt) sapientissimus elegisset. Addunt fabulę, quod ego nec fieri potuissę nec narrari debere arbitror. Erat ea tempestate in aula Coloniensi, antistes vir, vt memorant sanctitate & sapientia clarus, nec non comis & consilii Regii prima vox, qui domini sui status miseratus, vbi animaduertit humanis remediis nihil agi, ad Deum versus, illum assidue precari, in illo spem reponere, ab eo finem mali poscere, multo cum gemitu, quod cum diu fecisset nec desiturus videretur, de quodam illustri miraculo recreatus est. Siquidem ex more sacrificanti, & post deuotissimas preces pectus & aram lacrymis implenti, de cœlo vox insonuit, sub extinctæ mulieris lingua furoris Regii causam latere. Quo lætior, mox peracto sacrificio, ad locum vbi corpus erat, se proripuit, & iure notissimæ familiaritatis Regiæ introgressus, os digito clam scrutatus, gemmam per exiguo annulo inclusam sub gelida rigentique lingua repertam festinabundus euexit. Nec multo post rediens Carolus, & ex consuetudine ad optatum mortuæ congressum properans, repente aridi cadaueris spectaculo concussus obriguit, exhorruitque contactu, auferri id ocius ac sepeliri iubens: inde totus in antistitem conuersus, illum amare, illū colere, illum indies arctius amplecti, deniq; nil nisi ex sententia ipsius agere, ab illo nec diebus nec noctib. auelli. Quod, vbi sensit vir iustus ac prudens, optabilē forte multis, sed onerosam sibi sarcinā abiicere statuit, veritusq; ne, si ad manus alterius veniret, vel flāmis consumeretur, domino suo aliquod periculum af-

ferret, annulum in vicinæ paludis præaltam voraginem demersit. Aquis forte tum Rex cum proceribus suis habitabat, ex eoque tempore cunctis ciuitatibus sedes illa prælata est, in ea nil sibi palude gratius, ibi assidere, & illis aquis mira cum voluptate, illius odore, velut suauissimo delectari. Postremo illic regiam suam transtulit, & in medio palustris limi immenso sumptu iactis molibus palatium templumque construxit, vt nihil diuinæ vel humanæ rei eum inde abstraheret. Postremo ibi vitæ suæ reliquum egit, ibique sepultus est. Cautum prius, vt successores sui primam inde coronam, & prima imperii auspicia capescerent, quod hodie quoque seruatur, seruabiturque quamdiu Romani fræna Imperii Theutonica manus tenet.

CAP. XV.

De Spiridione Episcopo.

HÆc narratio est apud Ruffinum *in histor Eccles. lib. 1. c. 5. & à Socrate lib. 1. ca. 12.* reperitur de Spiridione Episcopo Cypri. Fuit illi filia nomine Irene, apud quā familiaris quispiā preciosum ornatum reposuerat, illa cautior æquo, sub tellure depositū abscōdit, ac paulo post vitam finiuit. Post aliquando tempore venit, qui deposuerat, & cum virginem non reperiret, patrem adorsus est, illumque nunc incusauit, nunc obsecrauit. Senex quoniam damnum eius qui deposuerat, suam ducebat esse calamitatem, venit ad sepulcrū filiæ, Deumq; inuocauit orans, vt ante tempus sibi promissam resurrectionem ostenderet. Nec fraudatus spe sua fuit. Rediuiua namque virgo patri apparuit, ac locum vbi ornatū absconderat indicauit, & rursus recessit. *Bapt. Fulg. lib. 1. c. 6. de miraculis. p. 95. Natalis Taillepied lib. de appar. spirit. cap* 17.

CAP. XVI.

De Muliere Coloniensi reuiuiscente.

MEmorabile hocce exemplum Coloniæ Agrippinæ ad sanctos Apostolos in tabula depictū obseruaui

sub

sub Episcopo Wilhelmo de domo nobilium de Genepe, mulier quædam nomine Richemodis peste obiit anno 1357. cui maritus ob coniugalis amoris vinculum, sponsalitium annulum in digito reliquit, quem vespillo animaduertens, noctu cum famulo suo accessit ad bustum, idque aperuit. seruus descendit, annulumque detrahere voluit, quo facto mulier erexit sese: Vespillo & famulus relicta lucerna aufugere, mulier ea sumpta, domum adiit suam, quam maritus viso annulo intromisit, ex eaque tres adhuc filios suscepit, *Petrus Merssaus in catalogo Archiepis. Colon.* Hic addendũ duxi, annulos morientibus detrahi solitos apud veteres, quod discimus à Plinio, qui *lib. 33 c. 1. circa fin.* *Grauatis somno*, inquit, "*aut morientibus religione quadam annuli detrahuntur.*" Exemplum in Tiberio, cui deficienti annulũ extractum quem mox resipiscens requisiuerit, testis est Suetonius in eius vita *cap 73.* Nec enim audiendi, qui Tiberium id mutandi hæredis causa fecisse censent. Nam etsi quidẽ veterum consuetudo erat, annuli traditione hæredem & successorem designare, quemadmodum Alex. Magn. ἐπειδὴ τὸ ζῆν ἀπέγνω περιελόμενος τ δακτύλιον ἔδωκε περδίκκα, teste Diodor. Siculo, & vide plura apud Valerium Maximum lib. 7 extremo. Hic tamen annulorum traditio id efficere non potuit extante scilicet testamento. Ex hoc more intelligendus Æl. Spartianus, qui annuli spontaneum de digito casum inter signa mortis Hadriano Imper. oblata retulit: *Signa mortis*, inquit, *hæc habuit: Annulus in quo imago ipsius sculpta erat, sponte de digito delapsus est* Forte autem ideo detrahebantur annuli, ne in pollinctorum manus peruenirent; nam post redditos iterum digito, & vna cum cadauere combustos, non obscure indicat Propertius lib. 4. Elegia: *Sunt aliquid, &c.*

Et solitum digito beryllon ademerat ignis.

CAP.

digiose superstitem per annum integrum ostendit. Denique nulla prius tentatum valetudine mors illum denuo occupauit, reliquitque confestim fœtorem adeo grauem, vt nisi eminus adeoque compressis naribus aspici potuerit. Hæc de Petro Armentario certa atq; indubitata historia est, vti ad Duumviros Nanceianos peruenit suis quæstionibus, probationibus atq; argumētis instructissima, cuius præterea fidem plenissime confirmauit, quod loci incolę de pueri ad vitā per speciem reuocatione suis se oculis vidisse apud multos prædicauerunt *Nicol. Remmig. in dæmonol par. 2. c. 5.*

CAP. XXII.

Recenset multos qui post plures dies reuixere.

PLinius exempla eorum, qui post plures dies reuixere, plura refert, vt *de Ariola viro consulari, de L. Lamia, Cœlio Tuberone Gabieno lib 7. c. 52.* Similiter Æsopum fabulatorem diis adeo carum fuisse vt reuixerit, in Suidę historiis legimus. Tindoreum quoque & Herculem atque Palicos Iouis & Thaliæ filios mortuos iterum reuixisse legimus. Et recitat Plato *lib. 10. de repub.* Phæreum quendam Pamphilicium inter eos, qui in acie ceciderant, decem diebus iacuisse biduoque postquā inde sublatus esset, impositum rogo reuixisse, ac mira quædam, quæ tempore mortis illius viderit, narrasse. Et narrat Rabbi Moses ex libro Galeni, quem transtulit Patriarcha, quod accidit homini suffocatio, quæ durauit diebus sex, nec comedit, nec bibit, & redduntur eius arteriæ duræ. Et dixit in eodem lib. quod accidit homini repletio, ex qua amittitur pulsus totius corporis, & non mouetur cor, & iacet sicut mortuus, & dicit quod accidit ex casu à loco alto vel clamore magno, vel ex longa mora sub aqua, syncopis durans quadraginta octo horis, & iacet homo sicut mortuus, in cuius facie surgit puluis viriditas. Et refert in eod. lib. de eo, qui sepeliuit mortuum ante septuaginta duas horas post mortem ipsius, & interfecit eum, quia sepeliuit eum viuum & de-

dit ibi signa, quibus cognoscitur, quod isti sint viui, licet iaceant similes mortuis, & certo moriantur, nisi succurratur illis, aut per phlebotomiam, aut alias curationes. Et hæc sunt ex his, quæ valde raro contingunt. Et hic est modus, per quem intelligimus Magos ac medicos suscitare mortuos. Sic legimus antiquos certis rebus naturalibus sæpe diuinum aliquod & mirandum suscipere solitos. Sic dicunt Synochitide vmbras inferorum euocatos teneri. Similia Aglaoptis herba, quæ & marmoritides vocatur, in marmoribus Arabiæ nascens, Persico latere efficit, vt narrat Plinius, atque magos ea vti cum velint Deos euocare. Præterea etiam esse herbas quasdam, quibus mortui reuocentur ad vitam. Vnde Xantus historicus narrat herba quadam nomine Bali occisum Draconis catulum vitæ restitutum à parente, eademque Tillonem quendam, quem draco occiderat, resuscitatum. Et Iuba refert in Arabia herba quadam hominem reuocatum ad vitam. Sic Dyadotos lapis eius fertur esse virtutis, si apponatur mortuo, vel attactu solo mortuum resuscitare ad vitam, sed mortuus non loquitur, nec pedes figere potest. M.S. de gemmis & lapidibus pretiosis lit. D. quod penes me est. Verum an talia possint reuera fieri vi herbarum, vel cuiusvis alterius rei naturalis in hominem indagare nostri non est instituti. Legitur etiam quispiam Glaucus mortuus, quem præter omnium expectationem, accurrentibus medicis herba, quam Draconem vocant, vitæ restitutũ dicunt, alii gustato mellito pharmaco reuixisse aiunt: Vnde ortum est adagium, *Glaucus poto melle resurrexit*. Apuleius etiam ritum huiusmodi reuocationum referens de Zachla Ægyptio Propheta inquit: *Propheta sic propitiatus herbulam quampiam ob os corporis & aliam pectori eius imponit, tunc Orientem versus vel incrementa solis Augusti tacitus imprecatus venerabili scena facies ad studia præsentium tantum miraculum certatim aduexit, iam tumore pectus attolli, iam salubris vena pulsari, iam spiritu corpus impleri, & adsurgit cadauer, & profatur adolescens.*

CAP.

CAP. XXIII.

De Philinnio mortua reuiuiscente.

PHlegon Hadriani libertus oculata fide se cognouisse testatur Rem sic narrat: Philinnium Demostrati & Charitus filia Machatem hospitẽ amare cepit, indigne id ferentibus parẽtibus mœrore mortua, & publice fuit funerata. Sexto post obitum mense, quum eo reuertisset Machates, ingressa ad illum Philinnium, hospiti se post longa colloquia commiscuit non semel illo vesperi, quo & cum eo cœnam sumpsit, & annulum ferreum, & poculum inauratum à Machate dono accepit, ipsi vicissim annulum aureum & fasciam pectoralem dedit. Nutrix dum pergit sedula, ne quid hospiti desit, satagere, videt cum eo in lectulo iacentem alumnã. Læta parẽtibus id indicat, illi stupentes accurrunt. & altero die vtrunque deprehendunt, & cum eiulatu dormientem cũ hospite filiam amplectũtur. Sed toruum in eas intuens Philinniũ: *O vos crudeles, inquit, in filiam parentes, ergone vos inuidisse mihi meo Machate paterna in domo vel triduũ solidũ frui.* Magno vobis dolore hæc siue duritia siue curiositas stabit. renouabitis dolores præteritos, & filiã iterato sepelietis. His dictis expalluit, & cõcidit cadauer mortuo iterum simile, seu potius vt erat mortuũ. Concidere simul oppressi mœrore parens vterque. Re intellecta populus & Magistratus iubent sepulcrum aperire, vacuum id corpore repertum, erant in eo duntaxat annulus ferreus & scyphus auratus dona Machatæ, sed in cubiculo & lectulo inuentum cadauer Philinnii, & Hilli cuiusdam auguris consilio, vt prodigium eiectum extra vrbis limites auibus ac feris deuorandum. Ipse Machates à spectro videns se delusum, sibi paulo post manus, ignominiam non ferens consciuit.

CAP. XXIV.

De Monolpho & Gangolpho.

CArolus Magnus Christianiss. Imp. cum ad dedicationem suæ magnificentissimę Basilicæ Aquisgranensis

liensis tot adesse voluit episcopos, quot in anno sunt dies, id est, 365. & duo deessent, Monolphum & Gangolphum aiunt è suis sepulcris seu latebris emersisse, & illic ingenti gaudio adfuisse, peracta autem dedicatione à Leone IV. summo Pontifice præsente, accepta benedictione, omnibus admirantib. recesserũt, & sua Mausolæa repetierunt. Testatur P. Canisius *in suo Martyrologio ex aliis sacris historiis.*

CAP. XXV.

De Benedicto VIII. P. R.

REfert Petrus Damianus Cardinalis Hostiensis, Benedictum 8. P. R. dum in terris vixerit, colorem album in equis laudasse summopere; eoque delectatum fuisse, verum post mortem episcopo cuidam amico suo, equo deterrimo nigri coloris insidentem apparuisse.

CAP. XXVI.

De S. Ambrosio.

ANimas defunctorum separatas apparere sub hominum conspectum, non solum admirabile quippiam, verum etiam inter diuina miracula computandũ est ex sententia S. Thomæ *1 par. sum. q. 89. art. 8.* vt Beatus Ambrosius flagello hostes insecutus est, Mediolano ab hostibus obsesso, vt Fulgosius scribit; cuius rei signũ extat in moneta argentea Mediolani excusa, *quam penes me habeo.*

CAP. XXVII.

De Corfidio equite Romano.

ET mirum illud fuit, quod duobus fratribus equitibus Romanis euenit ex quibus maior natu nomine Corfidius, cum ab omnibus pro mortuo haberetur; & iam tabulæ testamenti recitarentur, quo alterum fratrẽ heredem instituebat, in medio funebris apparatus, in pedes se magna lætitia erexit, dicens: se apud fratrem fuisse, qui filiam ei commendauerat, & ostenderat, vbi

certam vim auri sub terra conditam haberet: quo sepulturæ eius exequias ex funerali apparatu facto celebraret. Quo hæc dicente, magna eorum qui aderant admiratione allatum de morte fratris nuncium fuit, & aurũ vbi dixerat inuentum.

CAP. XXVIII.

De Ero Armenio.

PLus admirationis in Eri Armenii resurrectione fuit, qui decimo die, postquam in prœlio cæsus fuerat, cum iam aliorum eo prœlio cæsorum corpora putrescerent, ad vitam reuersus multa narrauit, permittentibus iudicibus, quibus in mortem præsentatus fuerat, qui ob id redire eum permiserunt, vt pro vera historia à Platone scriptum est. *Natal. Taillepied. lib. de appar. spirit. c. 13. & c. 17.*

CAP. XXIX.

De Hermotino Clazomenio, & Aristæo Proconnesio.

HErmotini Clazomenii spiritus, quantum videbatur, relicto corpore ceu mortuo per varia errabat loca, eaque postea referebat, quæ ab iis solis intelligi poterãt, qui rebus ipsis interfuissent. Idem de Aristæo scribunt Herodotus & Maximus Tyrius Philosophus. *Petrus Bonaysteau dictus Launaus in discursu de excellentia & dignitate hominis.*

CAP. XXX.

De Aristæo apparente.

NArrat Herodotus in Melpomene *cap. 5.* Aristæum Poetam apud Procõnesios fullonis officinam ingressum, repente velut ibi mortuum concidisse. Qua re vehementer perterritum tabernarium, occlusa officina propere vt rem omnem renunciaret, ad mortui parẽtes abiisse, peruulgata iam per totam vrbem de morte Aristæi

stæi fama, quendam Cyzico, quæ fuit Propontidis ciuitas, aduenisse, qui Aristæum non vidisse ibi tantum, sed etiam alloquutum interposito iureiurando affirmaret. Dubios parentes quantum poterant ad fullonis ædes properasse, quibus reseratis, ac diligenter omnibus angulis excussis, Aristæum nuspiam nec viuum nec mortuum esse inuentum. Post septem annos Aristæum iterum Proconnesiis apparuisse, ac versus etiam eos, qui Arimaspi à Græcis dicuntur, fecisse ac tandem disparuisse. Eundem Aristæum trecentis & quadraginta annis post Metapontinis in Italia visum, eiusq; iussu aram Apollinis extructam, & Aristæo Proconnesio dicatam ipsi Metapontini fatentur. Huius animam cerui specie visam ex ore euolantem *Plinius Secundus in septimo naturalis historiæ* memoriæ prodidit. *Nicol. Leonic. de var. histor. lib. 3 c. 105.*

CAP. XXXI.

De Enarcho.

PAri admiratione dignus est etiam Enarchi casus, nam à Medicis pro mortuo habitus & relictus (vt in lib. de anima Plutarchus scribit) non multo post ad vitam reuersus vere resurrexit, spiritusque eos, qui eum vita abstraxerant, grauiter ab ipsorum principe increpitos fuisse affirmauit, quod eum pro Nicauda coriario accepissent, qui eodem die & hora, & febri correptus, cum in lecto iaceret, eo morbo decessit. Neque vero hac re contentus ad testandam resurrectionem, quam Plutarcho, qui tunc laborabat, breui incolumem eum fore prædixit, atque ita contigit. *Natal. Taillepied. de appar. Spirit. c. 13.*

CAP. XXXII.

De Reparato Romano.

REparati casus similis Enarcho fuit, is rigens frigidusque pro mortuo à suis conclamatus statim ad vitam reuersus, misit ad Laurentii in Damaso fanum, in

vrbe Roma qui ſciſcitarentur de Tyburtio ſacerdote, quidnam eſſet? atque interim dum nuntius reuerteretur, narrauit à ſe illum eſſe viſum in inferno magno, ignibus cruciari. Reuerſo autem nuntio, qui ea ipſa hora mortuũ eſſe Tyburtium affirmauit, Reparatus quoque ſtatim mortuus eſt.

CAP. XXXIII.

De Curina.

INterdum ſpiritus humanis corporib. incluſi manēt, cæterum motus occulti ſunt, deuinctique ſenſus adeo vt viuant ne an non eiuſmodi corpora non facile intelligatur. Hoc facit vt nonnunquam à mortuis ſuſcitati eſſe dicantur, qui vere nondum perierant, ſicuti experimento cognitum eſt, adhuc viuos fuiſſe. ex quib. nonnulli miranda narrantes videntur illic fuiſſe, vbi nunquam fuerunt, ſed eorum ſpiritus in ſeipſum collectus ea comprehēdit ac videt, quæ bene habens in varia abſtractis cogitationibus propter corporeum viſum non cognoſcit, quemadmodum Auguſtinus de Curina ſe vidiſſe teſtatur. Hic pagi incola erat in Africa agri Hipponenſis, qui cum in aduerſam valetudinem incidiſſet, ab omnibus pene pro mortuo habebatur, cum amiſſis ſenſibus nullo nutrimento aleretur, in hoc ſtatu cum aliquot dies fuiſſet, id ſolum ne ſepeliretur, propinquos retinebat, quod aliquantiſper per nares in eo reciprocare animaduertebatur. Cæterum cum poſtea omnes eum deceſſiſſe arbitrarentur, repente apertis oculis dixit, vt ſtatim aliquis ad Curinam ferrarium fabrum, qui vicinus erat, viſum quid ageret, properaret, & cum ea ipſa hora mortuum eum nunciaretur, affirmauit ſe coram iudice quodam ductum, qui vehementer eos ſpiritus increpuerat, à quibus ipſe erat deductus: quoniam Curinam fabrum ferrarium, & non ſe volebat, ob eamque cauſam ſe vitæ reſtitutum, in hac exſtaſi à ſe paradyſum, multaque alia viſa narrabat, atque inter alia Hippone ab Auguſtino ſe baptizatum, ac monitum vt ita faceret: quoniam quod tunc videbatur factum,

ctum, visio erat. Bonę igitur valetudini restitutus monita repleuit. *Bapt. Fulgos. in lib. factorum dictorumque memorabilium 1. c. 6. de miraculis.*

CAP. XXXIV.

De Equite Francico resurgente.

REfert Francica historia *anno 1196.* mortuum equitem ex terra Vermandois resurrexisse, qui multa futura vaticinatus fuerit, & longo tempore absque cibo & potu vixerit.

CAP. XXXV.

De Assuito & Asmundo.

APud Saxonem Grammaticum legimus, Assuitum quendam & Asmundum inter se communib. votis coniurasse, quemnam illorū vita prolixior excepisset, mortuo contumulandum. Tandem Assuitus morbo consumptus, cum cane & equo suo vasto mandatur antro, cum quo & Asmundus ob amicitiæ iusiurandū viuus contumulari sustinuit, cibo quo in longum tempus vesceretur illato. Tandem Ericus Suetiæ Rex eo loci cum exercitu pertransiens Assuiti tumulum (thesaurum inesse ratus) perfrangens adaperta specu eductum Asmundum luci restituit. quem videns tetro oris habitu, funebri tabo obsitum, & profluo ex cruda cicatrice sanguine cruentatum (quippe Assuitus noctibus redi-uiuus crebra colluctatione læuam illi aurem abruperat) secti vulneris causam referre iussit, quam ille narrauit his verbis:

Quid stupetis, qui relictum me colore cernitis:
Obsolescit nempe viuus omnis inter mortuos,
Nescio quo Stygii numinis ausu,
Missus ab inferis spiritus Assuiti
Seuis alipedem dentibus edit,
Infandoque canem præbuit ori,
Nec contentus equi vel canis esu,
Mox in me rapidos transtulit vngues.

 Discis-

Discissaq; gena sustulit aurem.
Hinc laceri vultus horret imago
Emicat inque fero vulnere sanguis.
Haut impune tamen monstrifer egit.
Nam ferro secui mox caput eius,
Perfodique nocens stipite corpus.

Non dissimile refert Pausanias ex Delphorum interpretibus acceptum. Esse videlicet dæmonium quoddã infernum longis & prominulis dentibus, & corpore liuido ac cadaueroso formidabile pelle vulpina vestitum, quem Euryonium dixerunt: qui mortuorum carnes absumeret & deuoraret, ita vt vix nuda relinquerentur ossa. *Nicol. Leon de var. hist. lib. 1. c. 61.*

CAP. XXXVI.

De Gigante resurgente.

VT tradit Vincentius *lib. 21. c. 97.* Sancto Maclouio Episcopo Britanno, insulæ Fortunatæ Gigantis corpus sepultum immensum ediderunt. Eo etenim secẽdi Euangelii causa profectus Maclouius, refosso quodam sepulcro, comperit corpus occupans amplissimum spacium, illi ac comitibus admirandum. S. igitur cadauer iussit resurgere in vitam, paruit ille, multa de rebus arcanisque alte. ius seculi diuinis Maclouium edocuit: ac suscepto baptismate etiam diu superuixit.

CAP. XXXVII.

De quodam Nordanimbro reuiuiscente.

TRadit S. Beda *in lib. 5. Angl. histor. cap. 15.* siue enim ea fuerit vera resurrectio, siue spiritus vitalis refocillatio, surrectionem tamen à mortuis ibi nuncupat Beda: Erat, inquit, paterfamilias in regione Nordanimbrorum (circiter annum Domini 683.) religiosam cum domo sua gerens vitam in loco cui nomen Incuniningum, is infirmitate corporis tactus, ad extrema perductus, primo tempore noctis defunctus est, sed diluculo

reui-

reuiuiſcens ac repente reſidens, omnes qui corpori flentes adhæſerant, timore immenſo percuſſos in fugam conuertit, vxor tantum, quæ eum amplius diligebat, quamuis multum tremens & pauida remanſit, quam ille conſolatus, Noli, inquit, timere, quia iam vere reſurrexi à morte, qua tenebar, & apud homines ſum iterum viuere permiſſus: diſtributisq; bonis omnibus in pauperes & coniugem, ſubiit monachatum, ſanctiſſimam vitam degens, ob ea, quæ viderat morientium damnatorum tormenta, ac ob ſummam beatorum gloriam.

CAP. XXXVIII.

De reſurrectione mortuorum in Ægypto.

REfert Triſmegiſtus, vidiſſe non ſemel haut procul à Pyramidibus Ægypti in quodam loco (vbi menſe Martio certo die in feſto Patrocinii cōuenire ſoleat magna multitudo hominum ad videndam reſurrectionem carnis, vt ipſi vocant) ex ſepulcris apparentia, & velut paulatim emergentia cadauera defunctorū non quidem integra, ſed interdum manus, interdū pedes, nonnunquam maiorem partem corporis conſpicuam eſſe, & rurſus ſub terram velut ſe abſcondere. Et ſcribit Camerarius *in operis ſucciſ. cap. 73.* ſe ſciſcitatum ab affine ſuo, qui in illis locis peregrinatus fuit, an ea ita ſe haberent, & reſponſum accepiſſe, in Cairo vrbe & aliis Ægypti locis ea neutiquam pro vanis, ſed pro tritis & ſolemnibus haberi, & citat libellum Italicum ante multos annos Venetiis editum, ſibi monſtratum, cui titulus erat, *Viaggio di Meſſer Aluigi di Giouanni di Aleſſandria nelle India*, in quo hæc narratio etiam inſerta fuit, affirmat & Bernhardus à Breidenbach *in peregrin. in terram ſanctam. c. de Cairo. lit. Y. 1.*]

CAP. XL.

De Mammonia.

IN Mammonia eſt locus, duas continens inſulas, in maiori templū eſt, in minori ſacellū, in maioris tem-

plo nulla vnquam fœmina, aut fœminei sexus animal ingredi potuit, quod nō statim conciderit & mortuum sit, vt felibus, canibus, & aliis animalib. fœminei sexus comprobatum est. In minori nullus vnquam homo mortuus, nec naturali obiit morte quiuit, vt refert *Matthias Quad in Enchiridio Cosmographico part. 1. cap. 3. de Hybernia.*

CAP. XLI.

De Lucumoria.

ADmirabile est, quod Guaguinus in descriptione Muscouiæ recenset. Pop. scribit in Lucumoria regione Russiæ habitãtes, quotannis 27. Nouemb. die vt solent hirundines & ranæ, sic & ipsos præ frigoris biumalis magnitudine mori, postea redeunte vere 24. Aprilis die denuo reuiuiscere. Addit hoc, quum sibi mortem imminere sentiunt, merces suas certis in locis deponere, quas Grunstẽsii & Serpononutzii vicini populi suis mercibus interim æquiualentibus eodem loco relictis auferunt. Illi reuiuiscentes eas merces, si iustæ videantur, pro suis recipiunt, sin minus easdem repetunt, vnde lites & bella sæpissime inter eos oriri dicuntur. Quod licet pro fabula idem scribens *Sigism. L. Baro ab Herberstein,* habeat & ab omnibus habenda videatur, si quis tamen verum esse contendat, huic dicit Stroz. Cicogna, præstigias esse diabolicas, aut hos glirium fratres esse, qui ternos menses quotannis transigunt somno perpetuo, tamque alto vt à mortuis nihil differant.

Stroz. Cicog. in theatro vniu nar. par. 1. lib. 4. c. 7. Michael Bapst in suo lib. mirab medicin fol. 6.

CAP. XLII.

De septem dormientibus.

ADdere liber miraculum septem illorum fratrum Ephesinorum, qui septem dormientes appellati sunt, & sub Decio Imp. Anno 447 acerbissima tormenta ob Christianæ religionis professionem pertulerunt. Horum nomina fuerũt, Malchus, Maximilianus, Martinianus,

tinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion, Constantinus, qui post quæstiones & tormenta in speluncam inclusi sunt, vbi precibus ad Deum fusis ad quietem se composuerunt, & ducentos annos dormiēdo exegerunt. Quibus finitis diuino nutu ac voluntate ostium prædictæ speluncæ Decii iussu olim accurate obstructum, apertū fuit, septemque illi excitati & egressi, nouamque rerum faciem mirati, tandem ad Theodosium Imper. adducti sunt, in cuius cōspectu mortuorum resurrectioni, quæ tum à malis quibusdam Christianis in dubium vocata fuerat, validissimum testimoniū perhibuere, *testes Fasti ecclesiast quibus inserti ad 27 Iunii. Casparus Goltuum in Fast eccles. fol. 168. & in lib. miraculorum edito anno 1557. Metaphrastes Gregor. Turonens. in glor. plur. martyr. c. 95. Nicephorus Calixtus lib. 14. c. 45.*

CAP. XLIII.

De quinque dormientibus.

SImile quid scribit Paulus Diaconus, esse scilicet in extremis Germaniæ Aquilonaris confinibus ad maris litus sub excelsa rupe cauernam, in qua quinque homines dormientes conspiciantur, corporibus ac vestimentis omni ex parte integris atq; incorruptis. Ex forma habitus pro Romanis haberi, putareque accolas fore, vt quandoque à somno excitentur. Quendam sceleratum olim spoliandis illis manus iniecisse, sed aridas retulisse. Olaus Magnus arbitratur eum in finem ibi eos à Deo, quiescere iussos, vt experrecti olim homines, ad catholicam fidem reducant.

CAP. XLIV.

De Antro Patricii.

EST mons in Islandia nomine Hecla, perpetuis damnata æstibus & niuibus, horrendo boatu lapides euomit, circa quē frequentius horrendi vlulatus vel fletus audiuntur, descensum vel aditū ad inferos inde haut procul abesse posse multi coniiciunt, transeuntes amicorum more amice nihil minus salutare consueuere,

ſubito tamen euaneſcendo fruſtranti. Paganos nonnulli hos appellant, ac pœnarum præterquam damni vel minimum in poſterum formidare aiunt. Apparent etiam dum mortuorum animas ſimulant, ad montem Heclam continuis flammis vt Ætna fumantem euaneſcendo ſeſe recipere aiunt. *Ioannes Anan. in lib. 3. de natur. dæmon.* dæmones eſſe putat. *pag mihi 118. Olaus lib. 2. c. 3.* teſtatur ad radices montis Heclæ in Islandia, qui inſtar Ætnæ inteſtino ſemper æſtuat incendio, & flammas eructat, ſpiritus frequentes apparere eorum forma, qui vel naufragio, vel alia morte violenta periêrût, tamque familiariter cum amicis, quos in vita habuerint, conuerſari vt & dexteras eorum præhendant, ſalutent, conſiſtant, adeoque plane pro hominibus fallant, quoad euanuerint, nec vero vlla fere regio Magorum eſt feracior, vt qui etiam eorum, qui longe abſunt, Principum facta norint. *Natal Taillepied. lib. de appar. ſpirit. c. 13. p. 146. D. Dionyſius Carthuſianus in lib. de 4. nouiſſ. colloq. de iudicio particulari animarum artic. 24. vbi allegat libellum, qui de purgatorio S. Patritii intitulatur.*

CAP. XLV.

De Rupe noua in Finlandia.

IN Finlandia, quæ Suecorum Regis imperio ſubiacet, arx eſt, *Rupes noua* nomine, quam maximum flumen alluit immenſæ profunditatis, aqua nigro eſt colore, vt & piſces, optimo nihilominus ſapore. In hoc flumine multa ſpectra apparere dicuntur, quæ plerunque mortem vel arcis gubernatori, vel militum alicui denunciant: vt plurimum autem ſub perſona Citharædi ſuauiter canentis, & ſub vnda ludentis, vt refert Strozzius *Cicogna in vniuer. natur. theatro part. prima, libr. tertio cap. ſexto.*

CAP. XLVI.

De monte Hecla.

Surius

SVrius in suo commẽtario sub ann. 1537. sic habet: Quicquid dicant Philosophi, quædam sunt Tartari ostia, aut loca puniendis animabus destinata, quemadmodum in Islandia mons est Occidentem versus Hecla dictus, qui furit & ignem euomit, ac circa ingentes habet voragines, quibus plerunque viui absorbentur, visuntur illic mortuorum spiritus, qui in nota specie deferũtur, familiaribus colloquiis hominum, idque adeo, vt adhuc viuere putentur ab illis, qui eos nesciant vel submersione, seu alia violenta morte periisse, (nam tales præcipue apparent.) Cum autem orant eos amici vel noti, vt domum redeant, dicunt cum ingenti gemitu, se petere montem Heclam, illicoque disparent. Voluit autem omnipotẽs Deus eiusmodi in terris extare loca terribilia, vt certius norint mortales, quæ pœnæ maneant impios post hanc vitam, & sic discant timere Deum, vt possint æternos ignes euadere. Hæc ille, cui consentiunt quæ habet Krantzius Dan. *lib. 2 c. 24.*

CAP. XLVII.

De monte Horrisono apud Ferrariam Thuringiæ.

EST mons in Thuringia apud Ferrariam celebris ab hac historia. Fuit Regina Angliæ nomine Reinsuüiga, quæ defuncto Rege, quem vnice amabat, nam ex infima gente Reginam eam ob dotes & virtutes animi elegerat, memor fidei eius, multas eleemosynas elargiebatur, pro anima ipsius solicita, multas preces fundebat, putans dominum suum ex pœna & purgatorio hisce liberatum iri. Dicebatur ei tunc dominum eius purgatorium suum in Thuringia, in monte quodam *Horrisono* dicto habere. In hoc monte audiebatur sæpissime multus clamor & eiulatus animarum siuę spirituum, ideoq; vocabatur ab incolis *mons Horrisonus*. ibi ad montem ædificabat Regina sacellũ & pagũ, & nominabat *Sathanæ locũ*, quia mali spiritus illi ibi obuiã facti essent, hodie vocatur *Sattellstett*. Hoc sacellũ Regina cũ suis & aliis deuotis virginibus sæpissime frequentabat, ora-

prabat, eleemosynas largiebatur, & alia pro anima domini peragebat vsque ad vitæ finem. Anno 1398. visi sunt in meridie tres ingentes ignes in aere prope Ferrariam, & post conglutinabantur & diuidebantur, & volabant ad montem Horrisonum.

CAP. XLVIII.

De Scholari Lubecensi.

LVbecæ anno 1363. scholaris apud templum in speluncam se coniecit & obdormiuit, & post octo tandem annos expergefactus, per longum postea tempus vixit, *Thomas Hartmannus testis in speculo Cometarum par. 2. p. 120.*

CAP. XLIX.

De quampluribus ad vitam reuocatis.

MOrtuorum ad vitam reuocatorum exempla plura legere qui desiderat, perlegat miracula Beatæ Mariæ, vulgo nostræ Dame de Liesse dictæ, apud Picardos, autore Iacobo Boisio.

DE MIRACVLIS MORTVORVM PARS TERTIA.

CVm moritur homo, corpus in terram reuertitur, de qua sumptum est, mens vnde descendit, in cœlos remeat, sicut ait Ecclesiastes: *Reuertitur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redit ad Deum, qui dedit illum*, quod his verbis expressit Lucretius:

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terras: & quod missum est ex atheris oris,
Id rursum cœli fulgentia templa receptat.

Et Ouidius,

Bis duo sunt hominis, manes, caro spiritus, vmbra,
Quattuor ista loca bis duo suscipiunt,

Terra

Terra tegit carnem, tumulum circumuolat vmbra,
Orcus habet manes, ſpiritus aſtra petit.

Caro itaque derelicta & vita defunctum corpus cadauer nuncupatur, quod vt dicunt Hebræorum Theologi linquitur in poteſtate dæmonis Zazelis, de quo dictum eſt in ſcriptura: *Terram comedes omnibus diebus.* & alibi: *Puluis terræ panis eius.* Creatus eſt autem homo, puluis terræ, vnde & dæmon ille dicitur, Dominus carnis & ſanguinis, &c. Verum non omnes mortui putreſcant, vt ex ſequētibus patebit, nec ſi eius cauſæ ratio nos penitus prætereat, idcirco rem ipſam ridiculam ducere debemus? infinita enim prope ſunt, quorum rationem adipiſci nequimus. Quinimo riſu digni exiſtimantur illi, qui nimis anxie in rimandis ſingularum rerum rationibus intenti ſunt, & ex omnibus naturæ miracula tollunt: quoniam vbi cauſæ ratio nos latet, illinc perueſtigandi nobis exordium naſcitur. Olim autem fiebant ſepulcra ex ſarcophago lapide fiſſili, corpora celerrime conſumente, cuius meminit Iuriſconſultus Scæuola *in l. libertis. §. fin. D. de alim. leg. Macer in l. funeris. D. de religioſ.* de quo *Plinius lib. 36. cap. 17. In Aſſo Troadis* inquit *ſarcophagus lapis fiſſili vena ſcinditur, corpora defunctorum condita ab eo abſumi conſtat intra 40. diem exemptis dentibus, à quo habet Iſidorus lib 16. Origin c. 4.* cui contrarius eſt Chernites, qui cadauera à putredine vindicat. *Plin. 2 c 96 & 37 c 17.* eius virtutis dicitur eſſe Clematis Daphnoides herba, vulgo vinca peruinca vocatur, ex qua defunctis iuuenibus & virginibus ſerta conficiuntur, & Hieronymus Bock teſtatur, ſe vidiſſe caput mortuum exhumari hacce herba coronatum, quod totum incorruptum fuerit anno 1535. in die Marci. *Adamus Lonicerus in herbar. 2 part. c. 205* refert. *Petr. Andr. Matthiolus lib. 4. de herb. c 7.* De ſarcophago refert Cardanus, quod dum corpora breui excedat, terræ modicum relinquit, ex his indicio certo humanum corpus humidorum elementorum plus ſatis, quam terræ poſſidere *lib 5. c. 19. de rerum variet.*

CAP.

CAP. I.

De cadaueribus Persarum.

MIrum, quantum possit regionis diuersitas & victus: cum sub Amida ciuitate, quā Persarum Rex Sapor oppugnauerat, corpora Persarum & Romanorum ad sepulturam requirerentur, per Descenum Tribunum & Scribam animaduersum est, Romanos cæterosq; Europæos post quatriduum putrescere, taboque corrumpi, vt non facile qui sint, dignoscantur. Contra Persæ siccatis corporibus, sine tabo, vt ligna durescunt. Quod ego (inquit Cardanus) in cadauere parentis, cum lapis post viginti annos, inscripto Epitaphio reponeretur, animaduerti. Solum enim labiorum caro & nasi summitas & oculi absumpti erant; indicio igitur quantum corporis salubritati aer purior, & exercitatio cum victus moderamine cōferat. Vt iam Xenophonti credere possimus, qui panem nasturtium, & aquam cibum dicat Persarum, aut saltem nasturcii vice. nam si ab obitu, nec humor sit, qui computrescat, nec solida membra, quāto minus viuentibus morbi aduenient. *Card de ret. var. lib 8 c. 40.*

CAP. II.

De putredine cadauerum.

HOmo mortuus hæreditabit bestias, serpentes, & vermes, omnes enim in puluere dormient, & vermes operient eos, sicut vestimentum, sic comedet eos vermis, & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Quasi putredo consumendus sum, ait Iob, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea. Putredini dixi, pater meus es, mater mea & soror mea vermis. Homo putredo, & filius hominis. Quam turpis pater, quam turpis mater, quam abominabilis soror. Conceptus est homo de sanguine per ardorem libidinis putrefacto, cuius cadaueri, quasi funebres vermes adsistunt. Viuus generauit pediculos & lumbricos, mortuus generabit vermes & muscas. Vi-

uus

uus producit ſtercus & vomitum, mortuus producit putredinem & fœtorem. Viuus hominem vnitum impinguauit, mortuus vermes plurimos impinguabit. Quid igitur fœtidius humano cadauere? Quid horribilius homine mortuo? cuius gratiſſimus erat amplexus in vita, moleſtus etiam erit aſpectus in morte. Quid ergo proſunt diuitiæ? Quid delitiæ? Non liberabunt à morte, non defendent à verme, non eripient à fœtore. Quomodo ſedebat in throno glorioſus, modo iacet deſpectus in tumulo, qui modo fulgebat ornatus in aula, modo fœdet nudus in tumba. Qui modo veſcebatur delitiis in cœna, modo conſumitur à vermibus in ſepulcro *Innocent. Papa tertius eius nominis in lib. 3 de miſeria hominis. c. 1.*

CAP. III.

De Craniis Perſarum & Aegyptiorum.

REfert Herodotus *in Thalia cap. 3.* Hicce, inquit, mirabile vidi, quod ab incolis huius terræ audiui. Nam Crania illorum, qui in acie illa occubuerant, ab inuicem ſeparata, & in diuerſa loca ſepoſita. Perſarum crania ſola iacebant, & Ægyptiorum ſola. Et Perſarum quidem crania ita mollia, vt lapide arenario foramen in eis fiat. Ægyptiorum autem contra, ita dura, vt vix ictu lapidis animaduertas. Cauſa autem vt ferebant, quod & facile credo, eſt hæc, quod Ægyptii à pueris capillos detondere ſoleant, & ab eo crania à ſolis æſtu ita dureſcere. Et eadem cauſa eſt, quod Ægyptii non caluescant, vt raro apud eos caluus inueniatur, & hæc etiam cauſa quod dura crania habeant.

Quod autem Perſæ mollia crania habeant, exinde fieri, quod à teneris aſſueſcant, vt capita operiantur, nec capillos radant.

CAP. IV.

De cadaueribus in Arran.

Vt

VT refert Gyraldus Cambrēsis, in Arran insulis (in Connachlico mari) hominum corpora non putrescunt, eoque non humantur, sed dio exposita permanent incorrupta, sic homines auos, atauos, tritauos, longamque stirpis suæ seriem magna admiratione cognoscūt. Veteres alias in cōdiēdis mortuis, & putredine abigenda, potissimum vsi reperiuntur sale. *Plin. lib 31. ca. 9.* Nitro. *Herod lib. 11.* Cedro *Scholiast. Nicand. Plin. lib. 24. c. 5* Asphalto siue Bitumine Sodomæorum. *Strabo li. 16.* Melle. *Plin. lib. 22. c. 24. Herod. lib. 1. Stat. lib. 3. Sylu in propemt. Metii Celeris* cera. *Herod lib 1. Cicer. 1 Tuscul. Strabo lib. 15.* Myrrha *Philo Carpath Ep. in Cantica.* Balsamis. *Corripus lib 3. de fun Iustin Imper.* Gypso. *Herodot. lib 3.* Calce. *Maffeius in Indicis c 8.* quæ omnia copiose cōgessit Io Kyrchmannus *de funer. Roman. lib. 1. c. 8.* quo beneuolum relego lectorem.

CAP. V.

De corporibus incorruptis Heroum Sardorum.

NIcol. Leonicus *de narr. hist lib. 7. c. 17* refert: Quinā sint Sardoi heroes nuncupati, quodve illorum fuisse dicatur oraculum, neque Grammaticorum (quod sciam) quispiam scripsisse videtur, neque apud quempiam ego alium autorem, prȩter vnum Simplicium, me legisse memini. Hic enim in commentariis suis, quos in octo Aristotelis de physica auditione libros exquisitissime scripsit, nouem fuisse heroes illos dicit, Herculisque filios, quos ex Thespii filiabus Deus ille susceperat. Cæterum neque illorum adiungit nomina: neque cur è Peloponeso, Grȩciaque in Sardiniam enauigauerint, quicquam docet, sed illos solummodo eo loci delatos fuisse, ibique omnes diem suum obiisse scribit: Quorum etiam corpora omnibus integra membris, & illæsa dormientium præ se ferentia speciem vsque ad Aristotelis perdurasse ætatem refert. Ad hos etiam responsorum prædictionumque gratia, quȩ per insomnia darentur, & insulæ illius accolas, & multos etiam conuenas & externos accedere solitos fuisse, idem autor est Simplicius.

Sic

Sic Æmylius Probus seu Cornelius Nepos in Agesilao, cui & Plutarchus congruit, scribit: ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel nō habebant, cera circumfuderunt, atque ita domum retulerunt. Quamuis Diodorus Agesilai corpus in melle Spartam deportatum scriptum reliquit. Ita Xenophon *lib. 5 de reb. Græcor.* Cadauer Agesipolidis Regis in melle conditum domum reportatum, quum non longe ab vrbe Olyntho mortuus esset, memoriæ mandauit; refert Marcellus Donatus *in dilucid. in Tit. Liu. lib. 4. vers. ius arcas.*

CAP. VI.

De sarcophagis plumbeis, in quibus corpora imputria diu seruantur.

VT refert Bayfius *in libello de vasculis, §. vasa plumbea.* Regum corpora capsis & sarcophagis plumbeis vncta, & aromatibus illita Galli humi recōdere solent: sua enim densitate prohibet plumbum, ne odor internus effluat & dissipetur, neve externus aer illabatur: quæ ratio est, cur corpora imputria diu seruantur.

CAP. VII.

De imagunculis æreis in cadaueribus mortuorum repertis.

PHilip. Camerarius *in operis successiui. c. 14.* Vidi, *inquit*, cum meis sodalibus Venetiis (ex quibus honoris causa nominare libet, Antonium à Massau doctum nobilem, & militarem iuuenem Pomeranum, qui ea re valde delectabatur) inter alias selectissimas antiquitates, & res rarissimas apud Lauredanum, qui postea Dux Venetus electus est, quasdam imagunculas æreas, quas ipsius filius, (qui nos in ædes paternas nauicula, vel vti vulgo vocatur, Gondola sua peculiari, sicut Venetis mos est, aduexerat) singulari humanitate nobis monstrabat. Is affirmabat, eas reperiri in Ægypto, reconditas in corporibus defunctorum, & quidem eorum, de quibus Pis-

asphaltum factitium, quod Arabes Mumiam vocant, sumitur. Sæpius igitur cogitaui, an tantum superstitione quadam, veluti idola istæ imagines, quæ vti opinor à Romanis sigilla appellabantur, terra condita essent, sicut nostro quoque tempore, nonnunquam reliquiæ & imagines sanctorum quibusdam in locis monumentis conduntur: an vero ratio quædã subesset. Verum enimuero quemadmodum non semel miratus fui veterum eximiam prudentiam, quæ plerunq; coniuncta fuit superstitioni ipsorum, & vt poeta quidam præstantissimus dixit,

Nil sine prudenti fecit ratione vetustas.

Ita deprehendi hęc idola ærea non absq; peculiari ratione ita indita cadaueribus fuisse. constat enim ex sacris literis & historiis, veteres, Ægyptios præsertim, nimiam quandam curam & exactam diligentiam adhibuisse, vt conseruarent cadauera suorum in monumentis integra, vtque essent putrefactioni minus obnoxia. Vbi enim mortuum, inquit Plato in Phædone corpus ceciderit, & conditum fuerit, quemadmodum qui in Ægypto condiuntur, pene totum perdurat, longo quodam infinitoque tempore. Atq; etiam si nonnulla corporis membra computruerint, ossa, nerui; & huiusmodi, omnia tamen (vt ita dicam) immortalia perdurant. Ob hanc rem adhibuerunt aromata, & alios odores, quos Arabia felix profert, neque ignoratum, æs valde solidũ esse, quare nexas ære trabes, apud Virgilium reperitur. Et monumentum ęre perennius apud Horat Experientia igitur edoctos, æs non tantum seipsos à putredine & ærugine, quam diutissime conseruare, sed etiam aduersus putrescentia peculiarem vim quandam habere istas æreas imagunculas (qualis vel similis fortasse fuit ea icuncula puellaris, vel potius laguncula, vt nonnulli legẽdum putant, licet à quibusdam, sed falso acuncula legatur, quam Nero superstitione quadam, vt Suetonius refert in eius vita, pro summo numine, trinisque in die sacrificiis colere solitus fuit) cadauerib. arbitror eos infuisse (non tamen inficior superstitionem aliquam accessisse)

cessisse) vt diutius à putredine asseruarentur, cum præsertim ob hanc rem etiam acutos mucrones æreos olim cadaueribus infixos fuisse testetur Pierius *in Hieroglyphicis*. Eiusmodi claui cum fibulis æreis, non ita pridem apud nos in vicinia, quum forte monumenta vetustiss. in loco syluestri inuenirētur, inter ossa mortuorum reperti sunt, quos propterea diligenter asseruo. *Hactenus Camerarius.*

CAP. VIII.

De pollice Pyrrhi.

PYrrhus Rex Epirotarum in dextro pede pollicē habuit, cuius tactus lienosis medebatur, quem cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, cōditumque loculo in templo. *Plin nat hist. lib 7. c 2. n. 30. lib. 28. c. 4 n 10. Vairus de fascino lib. 1. cap. 11. Schrammius fol. 59. Michael Bapst in lib. mirab. medic. fol. 342. Bap. Fulgos. lib. 1. c. 6. de miraculis p. mihi 88.*

CAP. IX.

De B. Maria virgine.

EX B. Damasceno *de dormitione S Deiparæ.* Ex antiqua accepimus traditione, tempore gloriosæ dormitionis B. virginis ad eam vniuersos conuenisse Apostolos, & cum illis Timotheum, Dionysium Areopagitam, & Hierotheum, placuitque, vt quisque poterat hymnis celebraret infinitam bonitatem diuinarum viriū, corpus virginis matris cum Angelica & Apostolica hymnodia elatum depositum fuit Gethsemane: post tres dies, aperto loculo, corpore non inuento, obstupefacti cogitaruntq; quod cui placuit ex ea carnem sumere, etiam placuit immaculatum corpus incorruptum translatione honorare ante communem & vniuersalem resurrectionem.

CAP. X.

De digito S. Ioannis Baptistæ.

QVum imperaret Imp. Iulianus apostata, mandauit vt colligerentur ossa S. Ioannis Baptistæ, quæ Iudæi ob miracula, quæ faciebant, resperserunt, quum omnia collecta fuissent, comburi iussit, & cineres vento committi, inter quę ossa inuentus fuit digitus ille totus integer & incorruptus, quo monstrauit Iesum Christũ, quando dixit: *Ecce agnus Dei*: quem S. Tecla portauit in ecclesiam S. Ioannis Moriensis, quæ est fundata in honorem eius, vt testatur libellus in Gallica lingua editus *à Troiies, cui tit. La vie de Iesus Christ pag mihi E.* 5.

Testatur M. Ioannes Beleth, quod S. Tecla digitum S. Ioannis Baptistæ, qui comburi non potuit, de vltramarinis partibus in Normandiam attulit, & ibi in honorem S. Ioannis Ecclesiam fabricauit.

CAP. XI.

De Tulliola filia Ciceronis incorrupta.

DE Tulliola *Alex. ab Alex. lib* 3. *gen. dier. c.* 2. *sic.* Memini, inquit, cum Romæ agerem, in vetustis sepulcris, quæ in via Appia plurima visuntur, inter ædificia hortosque, interque coagmenta lapidum erutum cadauer fuisse, multo æuo vetustum, adolescentulæ mulieris facie, capillo, oculis, naribus, & reliquis lineamentis prorsus integris, & incorruptis, nisi quod vestigia liquaminum & vnguentorum, quibus delibutum fuerat, apparebant: recenti specie, inscriptione nulla, qua nomen defunctæ innotesceret Pomponius tamen vir, vt in ea ætate veterum literarum impense doctus, Tulliolã M. Tullii C. filiam, de cuius obitu ad Seruium Sulpitium sunt epistolæ, aut Priscillam Abascantii, de qua Sylua Papinii extat, fuisse augurabatur. In quibus argumentis asseueraret, cum nulla inscriptionis vestigia extarent, prorsus nescimus. Sulpitius Verulanus & Raphael Volaterranus memorię prodiderunt, vidisse se integrũ mulieris cadauer in via Appia Romæ effossum, oblitũ crasso va-

so vnguento, & incorruptū: quod alter suspicatur fuisse Tulliolæ M. Tull. Ciceronis filiæ, alter certum nomen non addit, sed ex erutis marmoribus vicinis colligit, ante annos plus mille & trecentos fuisse depositum.

CAP. XII.

De oculo B. Ludouici incorrupto.

VT refert Thomas Cantipratanus *in lib mirac. 2. c. 30 §. 33.* Sanctus Ludouicus Cathalanensium Episcopus fuit vir corpore venustissimus & pudicus. Quem vt vidit quædam Galliarum Regina, oculos coniecit in eum, & opportuno loco vocatum ad concubitum inuitauit. Quam ille toruo vultu & oculo indignanti despiciens, verbis mirificis cōfutauit. Cuius oculus post mortem, etiam in sicco cadauere extingui vel caligari non poterat, vt mihi & multis aliis audientibus, Magister Ioannes de Firmitate Abbas quondam regularium Canonicorum in eadem ciuitate, qui ipsum oculū quasi crystallum lucidissimum vidit, postmodum enarrauit. Interfuerat enim eleuationi corporis dicti Sancti, quod annis plus quam quadringentis in terra iacuerat. Et iuste quidem oculus etiā in mortuo corpore extingui non poterat, qui contra mortificantem hostem in fragili vasculo viuidus permanebat. Et vere merito extrinsecus caligari non debuit, qui venenum corruptionis intrinsece recipere non curauit. *Georgius Coluenerius in notis ibid. Ludomaum legēdum existimat, vel Leudomirum, vt legit Molanus in addit. ad Vsuardum 26. Septemb.*

CAP. XIII.

De Catharina Bononiensi.

INcorruptionis memorabile exemplū obseruaui *Bononia in Romadiola*, vbi in monasterio corporis Christi, quod dicitur, ostenditur B. Catharina, eius domus olim soror, quę incorrupta sedet, & vngues eius in manib. ac pedibus indies augentur, ac si in corpore etiam viueret. *Fr. Scottus & Hieronymus ex Capugnano in itinerario Italiæ part. 1. de Bononia.*

CAP. XIV.

De S. Theodulpho incorrupto.

CAntipratanus refert *lib. 2. mirac. c. 53. §. 2.* Vidimus & corpus cuiusdam Sancti, quod annis ferme sexcentis integraliter manserat incorruptum. Qua autem occasione hoc factum sit, iudicium breuiter enarrabo. In vrbe Germaniæ Treuirensi totius Europæ antiquissima ciuitate, structura quædam mirabilis erat, quæ Helenæ Constantini matris palatium dicebatur. Hoc ne ab inimicis præoccuparetur, in periculum ciuitatis à ciuibus est destructum: in cuius latere parte Aquilonari, Oratorium paruum inuentum est, in quo altare ex alabastro candidissimum erat, & in latere dextero sepulcrum. Hæc vero scriptura super sepulcrum in pariete legebatur:

Sancte Theodulphe nostri petimus miserere.

Ad sepulcrum ergo ciuibus pariter adunatis vocati sunt fratres Prædicatores, & ego casualiter superueni. Deposito autem lapide, corpus inuenimus incorruptũ, & apto schemate ad cooperiendum naturæ secreta, manus super verenda demissas. De permissione vero ciuium, manum eius dexteram, quam in sacrificio corporis Christi extenderat, mox abscidi, & in Louanium fratribus Prædicatoribus dedi. Huius reliquias capillorum & vnguium in antiquissimo monasterio iam dictæ ciuitatis, quod Horreum dicitur, cum superscriptione veteri, & aliis reliquiis Sanctorum inueni. Plura ibidem *Coluenerius in not. ibi. Inuentionem eius 28. Februarii celebrari refert Trithemius de viris illustribus ordinis S. Benedicti, l. 3. c. 269.*

CAP. XV.

De S. Lamberto incorrupto.

COrpus S. Lamberti Episcopi incorruptum post 13. annos trãslatum est, & plane incorruptum inuentum, reconditumque est Leodii. Corpus illius nulla me-

retrix contingere potest, quod summa admiratione dignum. Fortassis ob pellicem Alpaidem trucidatus. Petrus Merssæus *in annal. Episc. Traiect. p. 319.*

CAP. XVI.

De pollice incorrupto.

REfert Bernhardus suo tempore floruisse deuotã & Christo sacram virginem, totam in meditationib. passionis *Dominicæ* absorptam. Hanc consuetudinem habuisse, vt in honorem passionis Domini frequenter pectus signo crucis muniret, atque ita foris & intus gloriosa ista figura relucebat, volens autem Dominus hominibus aptare, quam accepta sibi fuisset illa deuotio, mortua iam & sepulta virgine putrefactis & absumptis cæteris membris omnibus, singulari prouidentia, pollicem, quo cum crucem formare solebat, ab omni corruptione conseruauit immunem. Quod post multorũ annorum curricula, cum sepulcrum apertum fuit, deprehensum est, ex quo liquet manifeste Deum noluisse, vt mors potestatẽ haberet in carne illa, quæ toties mysterium vitæ figurarat. *R. P. Fr. Ludouicus Granatensis in lib. vita Christi.*

CAP. XVII.

De S. Lucia incorrupta.

VEnetiis in templo D. Luciæ conspicitur corpus S. Luciæ adeo integrum, vt mammillæ eius conspici & cognosci queant, vt refert Bernhardus à Breidenbach *in peregrin. in terram sanctam. B. 6.*

CAP. XVIII.

De S. Euphemia incorrupta.

RVbinæ est vrbs Histriæ in templo summo conspicitur sanctæ Euphemiæ virginis & martyris corpus incorruptum, vt refert Bernhardus à Breidenbach *in itiner. ad terram sanctam. A. 3.*

CAP. XIX.

De Beato Antonio incorrupto.

ANconæ in Italia est Fanū S. Cyriaci in iugo montis, cuius tanta est altitudo, vt sereno cœlo in Dalmatiam inde prospici queat. Est hoc primarium, & in eius altari, quod ingredientibus ad læuam sese offert, D. Antonii ostenditur corpus, quod 400. annos immarcidum ibi cubauit, pristina adhuc tectum corde. *Itiner. Italiæ incerti autor. impressum Colon in Ancona. p. 221.*

CAP. XX.

De S. Georgii brachio incorrupto.

VEnetiis in monasterio S. Georgii è regione D. Marci est brachium S. Georgii cum manu incorruptū adhuc in altari, *vt refert Bernhardus Breidenbach in peregrin. ad terram sanctam B. 6.*

CAP. XXI.

De corpore Cleopatræ illæso.

EPistola Heraclii Imper. ad Sophoclem Philosophū, pro expositione libri inuenti ad caput Cleopatræ Reginæ in suo sepulcro.

Heraclius Imp. Pharticus, Persicus, & Babylonicus, Triumphator, semper Augustus, Sophocli sapienti & amico suo. Remeanti mihi à Persico bello, quod & magna virtute susceptum, & insigni victoria per Christi gratiā sumptum est, visum est vt Alexandriam contenderem, quædam ibi, quæ agenda erant, de vtilitate reip. disponere, vbi dum per aliquot dies permanerem, placuit, vt quædam sepulcra veterum Regum aperirentur, in quibus, vt fama erat, multæ gazæ inclusæ latuerant, vt male ibi ingesta pecunia, si fortassis inueniretur, multorū vtilitatibus deseruiret. Itemque apertum est Cleopatræ sepulcrum illius famosissimæ Reginæ, quę cum Antonio imperium totius pene Orientis tenuerat: vbi & corpus eius iuxta Antonium collocatum, aromatib. conditum, illæsum vsq; ad nostra tempora per centum viginti quinq; Olympiades permanserat, &c.

CAP.

CAP. XXII.

De duobus Gregoriis Byzantino altero, altero Pharonite incorruptis.

SOphronius *in prat. spirit. c. 121.* de duobus Gregoriis. degebant ii in insula maris rubri, nulla penitus ibi existente aqua, preter eam, quam sibi à continenti nauicula afferebant: contigit autem nauiculam fluctibus mergi sublatam littore fune dirupto. Itaq; aquæ penuriam pati coacti sunt ad plurimos dies, & mori. mortis autem causam sic inscripsere in cuiusdā testudinis dorso: *Abbas Gregorius Pharonites viginti & octo diebus aquam non bibens, defunctus est. Ego autem dies triginta septem transegi, ex quo non bibi.* Eorum autem cadauera integra comperta sunt etiam post menses octo.

CAP. XXIII.

De Beato Gaudentio.

EXemplum incorruptionis refert Cardanus *lib. 8. c. 49.* de beato Gaudentio, cum sex perpetuis mensib. ab obitu inhumatus mansisset, perpetuo illi vngues & capillos superauctos.

CAP. XXIV.

De innocentibus pueris sub Herode.

SIc Cantipratanus *lib. 2. c. 53.* §. 2. plurima Sanctorum innocētium corpora sub Herode passorum vidimus incorrupta. Vidi & ego in monasterio sancti Naboris apud Leucos brachiolum de vno ex innocentibus pueris incorruptum adhucce monstrauit mihi venerabilis Prof. Petrus Bruzius & reliquias plures.

CAP. XXV.

De B. Salomone.

LEgitur de B. Salome de domo regali Poloniæ, cuius mortuæ capilli & vngues crescunt, & sorores tondent crines, & dant hominibus, ex deuotione. Alcoran. Franciscan. *lib. 1. p. 116.*

CAP. XXVI.

De Campo ſancto Romæ.

ILlud mirabile non ſolum, ſed & prodigio ſimile eſt, prioribus pene contrarium. Eſt Romæ è regione ſancti Petri in Vaticano cœmiterium, campus ſanctus qui dicitur, vbi corpora peregrinorum breuiſſimo tempore, ſpacio viginti quatuor horarum cõſumuntur, quamuis non in profunda ſepeliantur terra, vt in aliis cœmiteriis contingit, ſed leuiter tantum ſolo tegantur, vt etiam articuli pedum parum eminere aliquando conſpiciantur. Vidi ego ſæpius, quum Romæ eſſem ſub Pontifice Clemente Octauo, meminit etiam Petrus Binsfeld *in tract. de confeſſ. malef. dub. 4. concluſ. 2. pag. mihi 154 & dicit ſe vidiſſe.*

CAP. XXVII.

De Campo ſancto Pariſiis.

EIuſdem nominis & ſimilis campus eſt Pariſiis in via S. Dionyſii, à la Triuite.

CAP. XXVIII.

De Campo ſancto Piſis.

PIſis (eſt vrbs veterrima ex duodecim Hetruriæ vrbibus) eſt etiam Campus ſanctus tunc inſtitutus, cum Barbaroſſę Imp. terræ ſanctæ bellum inferenti triremes quinquaginta Piſani miſerunt. Verum cum vitã in vadis fluminis ille amiſiſſet, naualia terra ſancta replerunt, quam in hoc cœmiterium contulerunt. *Fr. Schottus, & Fr. Hieronymus ex Caprignano in itiner. Italia par. 1. c. Florentia. p. mihi 182.*

CAP. XXIX.

De Caluaria Chamberii.

IN ſodalitio Benedictinorum Diuæ Claræ & Lemenci extra muros Chamberii in Sabaudia, in promontorio eſt Caluaria, in quam defunctorum corpora deferri

ſolent

solent; quę triduo absumuntur, permirum dictu, quantum ossium illic elatum sit. *Testis Iacobus Delexius I C. in Chorographia Sabaudiæ p.24.*

CAP. XXX.

De cancris in sepulcris Chamberii.

CHamberii est vrbs Sabaudiæ, Franciscano in templo sunt sepulcra, quæ interne cancros nutriunt. A quibus iuxta vernaculam linguam Latialem in sonum nomen sumpsisse videtur, testis Iacob. Delexius *in Chorogr. Sabaudia p.1.f.2.*

CAP. XXXI.

De Cœmiterio sanctæ Vrsulæ in Colonia Vbiorum.

IN Commento ad passionale sanctæ Vrsulæ legitur, quod hodierno die in cœmiterio vbi reliquiæ sanctarum virginum requiescunt, nullus potest sepeliri, quia si aliquis sepeliretur, clauso tumulo in crastinum super terram apparet. Quia hæc terra de corporibus sanctarum virginum creditur sanctificata. Imo pueros recens baptizatos de nocte, quæ euomens in superficiem reiicit viscendos, cuius rei miracula narrant incolæ non rara, quæ alibi non facile inueniantur, vt Lindanus doctissimus vir scriptum reliquit apud Ill. Cardinal. Baron. 21. Octob.

CAP. XXXII.

De eodem Cœmiterio.

HErmannus Fleienus in libello suo de S. Vrsulæ ac sodalium eius historia, exstat Tomo 4. Zachariæ Lippoloi de vitis sanctorum. Inter Basilicas, inquit, sacras, illam quæ sanctarum virginum est in tanta veneratione semper Agrippinates habuerunt, vt nullius mortui corpus ibidem vnquam sepelierint. Vt autem in dicta sanctarum virginum basilica nullum corpus terræ mandetur, statuto cautū est, quod in antiquiss. eiusdem ecclesiæ libello his verbis scriptum inuenimus:

Diuinis

Diuinis flammeis visionibus frequenter admonitus, & virtute magnæ maiestatis martyrii cœlestium virginũ imminentium ex partibus Orientis exhibitus pro voto Clematius hic de proprio in loco suo hanc basilicam voto, quod debebat, à fundamentis restituit. Si quis autem super tantam maiestatem huius basilicæ, vbi sanctę virgines pro nomine Christi sanguinem suum fuderũt, corpus alicuius deposuerit, exceptis virginibus, sciat se sempiterni tartari ignibus puniendum. Hæc Aubertus Miræus de SS. virginibus Coloniensibus.

CAP. XXXIII.

De Valentino Milano noctu è templo deiecto.

Refert Gregorius Magnus *4. Dialog. 53.* quod Genuę quidam nomine Valentinus de Mediolano, homo in sua vita pernix & instabilis, fuit sepultus in ecclesia S. Syzæi, & ad mediam noctem magnus tumultus in ea auditus est, & vox quasi vnius, qui conquereretur, quod eiiceretur foras. Concurritur vndique, videtur Valentinus nexus pedes à duobus spiritibus exportari. Quidam abeunt, & manę redeunt, ad visendum sepulcrum eius, verum nihil in eo inueniunt, quærunt quoquo versus corpus eius, tandem extra ecclesiam ipsum inueniunt vinctum adhuc vt extractum erat. *Henricus Spondeus in lib. suo cui tit. Cœmiterium sacrum c. 3 p. mihi 35.*

CAP. XXXIV.

De Lithopædio inuento in muliere mortua.

"Memorabile est, Lithopædium illud. Mulier quædam Senonensis, cum ex homuncione facta esset grauida, conceptum intra se annos viginti octo habuit, quamuis interdum partus indicia sese ostenderent, nihil autem præter serosum laborem quendam erumperet, post tot annos autem, cum vita esset functa, aperitur, vtero infans in orbem implicitus transuersus iacẽs, in callosa quadam tunica iacere visus est, distinctis quidem in figura membris omnibus, sed in lapidem concretis,

cretis, adeo firmum, vt è marmore sculptum repræsentaret, intus cor, epar, renes, cæteraque efformata quidē sed similiter indurata. *Martinus Weinrich de ortu monstrorum c.20.*

CAP. XXXV.

De B. Stanislao Kostka.

VT refert Petrus Ouuerrad in iconib. sanctorum canonizatorum Poloniæ dicatis Thomę Zamoyski Beati Stanislai Kostka Poloni corpus, multo post mortem apparuisse integerrimum.

CAP. XXXVI.

De cadauere mutato in lapidem.

NOn procul à Tybure, est vrbs in Sabinis, alluit fluuius Anio, in cuius arena inueniuntur amigdala, anisum, fœniculum, & aliæ res in lapides versæ, vt ipsemet vidi superioribus annis, quum ea loca pertransirē, prioribus annis interfectus quidam in Anienem proiectus inuentus est, qui arbori ad fluuium accreuerat, illud cadauer adeo longum tempus incorruptū permansit, vt in lapidem versum fuerit. *Titus Celsus Patritius Rom Ioanni Iacobo Boissardo enarrauit & dixit semetipsum vidisse,* vt refert Boiss. in Topogr Romæ die 4. fluuius enim hic è gelidis venis sulphureis per subterranea metalla deriuatis erumpit, & vi quadam sua naturali consolidat & adglutinat corpora quæuis, verum & virgulta, ligna, folia vel herbas, aliaque solidiora, quæ perfluere contingit, cortice lapideo sensim obducit. *Franc. Schottus & Hieron. Capugn. in itinerario Indiæ part. 3. c. Tybur.*

CAP. XXXVII.

De incorruptione carnis in montibus Indiæ.

REfert Cardanus *lib. 7. c. 39. de rer. var.* carnes seruari incorruptas inter montes Indiæ Occidentalis, tam diu vt supra fidem sit. Nam iuxta Cuzcum vrbem, quos post quartum mensem occisos, licet, adeo esse recentes,

ac si

ac sine odore retro, velut si nuper essent occisi. Causam esse reor, inquit, non solum frigiditatem, quæ quamuis maxima sit, hic tamen cum maiore non tam diu seruantur. Est igitur & aer tenuior & salsus, forte & cibi & inedia aliquid contulere. Corrumpuntur enim carnes in aqua celerius, quā in aere: quia aer tenuior est, si cætera sint paria. Et rursus eadem ratione caro diutius seruatur, si æreus clauus infigatur: quoniam vis sulphuris siccat illam. Idem recenset *lib. 6. cap. 21.* inter cæteras herbas, quæ in aquis nascuntur, genus vnum esse, quod in lacu Morauiæ (ea est regio Scotiæ) abundat, quæ nunquam putrescit, etiam si super campos sternatur, olorumque herba solet appellari, quod olores libenter illius semine vescantur. Id vero cōtingit, quod humidi parum habeat & bene pinguis. *De causis corruptionis Cardan. lib. 6. c. 26.*

CAP. XXXVIII.

De corde Germanici non cremato.

TEnent aliqui, & eiusdem opinionis etiam est Plinius *lib. 11. natur. histor. cap. 37.* corda eorum, qui veneno sublati sunt, siue morbo cardiaco interiere; non posse cremari: Et ex hoc fundamento Vitellius probare conatus fuit, quod Piso Germanicum Cęsarem veneno sustulerit, quia Germanici cor comburi nequiit. Contra autem Piso saluatus & defensus fuit, quod Germanicus morbo cardiaco decesserit. *Michael Bapst in lib. miracul. med. par. 1. fol. 269.*

CAP. XXXIX.

De corde Ioannæ virginis Francicæ non exusto.

IOanna d'Arcia virgo Lotharingica, nata de Vaucouleur, vulgo dicta pucella d'Orleans, inspiratione diuina arma bellica assumens anno millesimo quadringentesimo trigesimo, restaurauit regnum Franciæ, Anglos è regno expellendo vi armata, & Regem Carolum

Septi-

Septimum ad suum regnum Franciæ restituendo, Aurelianos ab obsidione liberando, quæ puella regnauit tribus vel quatuor annis, quam vidisse D. Guido Papæ affirmat q. 84. num. 2. Verum strenua illa virgo, tandem forte permissu Dei in hostiũ potestatẽ rea venit, qui fortitudinem eius diuinã magicis artib. attribuentes, atrocissimo crudelitatis exemplo pridie Calend. Iunii 1430. Rothomagi eam concremarunt, non sine ingenti tum vniuersæ Galliæ luctu, tum Anglorum solatio, atq; adeo exitio. Neque enim post tam iniquum de innocenti capite iudicium res illis in Gallia ex animi sententia successere, paulatim agitati, diuexati, tandem etiam Galliæ finibus exacti, in suam regionem crudelitatis pœnam luentes concessere. Nec leuiore Dei vindicta cum iis, qui conscii & auctores tam iniquæ sententiæ superfuerant, actum est, qui miserando omnes vitæ exitu, etiam Ludoico XI. regnante ceciderunt, qua de re extant hi Valeriani versus:

Nec superi voluere ignes impune relictos
Medeius siquidem longo sermone profatus,
Astruit esse scelus, flammis & morte piandum.
Multaque adulandi studio confingit vt Anglos
Sic sibi concilies: sed paucis inde diebus
Corpus tabifico respergitur vlcere lepra,
Alter in immundo reuolutus stercore vitam
Finiit: arguerat plerunque in carcere ficti
Criminis insontem pendenti lite puellam,
Sic & Calceonus, qui censuit esse cremandam,
Pendula dum tonsor secat excrementa capilli
Expirat, capit & gelida tellure cadauer
Decubat vltrices sic pendent crimine pœnas.

Et quod vulgi superat fidem, cnm iam cadauer depastus esset rogus, integrum puellæ cor atque illibatum inuentum, ab eodem autore Valeriano Parisiensi Theologo his verbis traditur:

Postremo enituit pietas in morte puellæ.
In cinerem cunctos dum flamma resoluerat artus,
Illa-

Illæsum cor habet venus (mirabile dictu)
Hac synceri animi temerant incendia sedem,
Albaque tunc visa est igni prodire columba,
Et petere æthereos multis spectantibus orbes.

Sed è rescripto Calixti Pontif. causæ cognitores constituti, Ioannes Arhiepiscopus Rhemensis, & Wilhelmus Parrisiēsis, innumeros testes omni exceptione maiores, super eius innocentia, modestia, castitate & religione examinarunt, eamque innocentissimam comperrerunt ac pronunciarunt, actaque seruantur adhuc in scrinio Parisiensis ecclesiæ, quod Papirius Massonus testatur. acta fuerunt hæc in Palatio Archiepiscopali Rhotomagensi anno Domini 1456 die 7. mensis Iulii. Aureliis in ponte statuam æneam meruit ad memoriam perpetuam, quam prioribus annis, quum ibi degerem vidi & notaui *vide de ea historiam Franticam Siege des Anglois de vant Orleans. lib. cui tit. Sybilla Francica. Rolbag. in certam. masculo fœmin. c. 10. n. 31. Nicol. Tallepied. in antiquitate vrb Rothom. c. 48. Tragœdia de Ioanna puella d'Orleans in argument. Ancerni. Iulian. de somniis. pag. mihi 40. latius ego egi de illa in lib. de virginitate. c. num virgo possit esse miles armat. Ioannes de Gerson in apologia pro puella ductrice exercitus Francorū.* Refert Ioānes Nyder *in fornicar. lib* 5. c 8. suo tempore circa Coloniā virginem quandam fuisse, quæ in habitu virili omni tempore incessit, arma deferebat, & quia eodem tempore sedem Treuirensis ecclesiæ duo pro eodem contendentes, grauiter molestabant, gloriabatur se vnam partem posse & velle intronizare, sicut virgo Ioanna, imo illa se eandem Ioannam à Deo suscitatam esse adfirmabat.

Tempore Ioannæ duæ fœminæ prope Parisios surrexerunt, se publice dicentes missas esse à Deo, vt virgini Ioannæ essent in subsidiū, &c. sed repertæ sunt maligni spiritus deliramentis deceptæ. De hac virgine Ioanna plenæ sunt omnes historiæ illius temporis, agunt de ea præter alios historicos Ioannes Leziardus *in histor. vniuers. epit. c. 274. Æneas Syluius de Europa c. 43. S. Antoninus. part. 3. histor. tit. 22. c 9. § 7. Baptista Fulgos. factor. dictor.*

ꝭor.memor.lib.1 c 5.& l.3. c.2. Baptista Egnatius lib.3 c. 2. Martinus Delrio in appendice ad lib.5.disquis.magic. Robertus Gagninus lib.10 histor.Franc. Ioannes Nauclerus in sua Chorograph generat 48.anno 1428. Christianus Massæus in Chronico ann.seq. Iacobus Meyerus in annalibus Flandriæ ad eund. Domini annum & tres seqq. Arnoldus Pontacus & Genebrardus in sua Chronographia circa idem tempus, & alii non solum Latini, sed & Græci vt Laonicus Chalcondylas lib.7. de reb. Turcicis post medium.

CAP. XL.

De corde Huldrici Zuinglii non exusto.

DE Heluetо gladiatore Huldricho Zuinglio narrant, quod cadauere flammis tradito, solum cor exuri non potuerit, testis Iacob. August. Thuanus *lib.1. histor sui temp.p 65.edit.Paris.in 8.*

CAP. XLI.

De Luz ossiculo hominis incorruptibili.

AGrippa *lib.1.de occult.philos.c.20.* in humani corporis compage ossiculum extare tradit, quod cum sit incorruptibile, resurrectionis corporis semina in sese contineat, ab Hebræis Luz appellatur.

CAP. XLII.

De dentibus mortuorum crescentibus.

IN *lib. de mirabil. Phlee Tral.* memoratur tempore Imperatoris Tyberii in Sicilia cadauera aliquot mortuorum effossa fuisse, quorum dentes longitudine pedem viri superarint.

CAP. XLIII.

De Epimenide Gnosio.

POstquam Epimenides Gnosius, qui 47 vel vt alii volunt 77. annos in spelunca quadam continuos dormierat, mortuus esset, totusque carnem & neruos corruptus, post multos annos cutis eius in sepulcro incorrupta, notis aliquot & signis notata inuenta fuit, vnde

F adhuc

adhuc apud doctos, quando de rebus miraculosis & inauditis loquuntur vel audiunt, Prouerbium extitit, Επιμένιδης δέρμα, puto esse Epimenidis cutem. *Michael Bapst in lib. mirab. medic. part. 1 fol 154.*

CAP. XLIV.

De S. Eulalia.

PRudentius: *Virgo citum cupiens obitum*
Appetit & bibit ore rogum
Emicat inde columba recens
Martyris os niue candidior
Visa relinquere, & castra sequi
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.

CAP. XLV.

De B. Sororio incorrupto.

SEnis in Hetruria, è regione templi cathedralis dedicati B. virgini Mariæ Xenodochium est egregium, cum templo, cuius fundator, vt aiunt, fuit Sutor quispiam, & illius ibi corpus incorruptum asseruari dicitur: in templo tale eius monumentum muro insertum. B. Sororius de Senis, fundator Hospitalis Anno 1432. ad honorem Dei & B. Virginis Mariæ. *Itiner. Italiæ incerti autoris. c. de Senis.*

CAP. XLVI.

De digitis periurorum.

DIgitos, quibus peieratum est, non corrumpi testatur M. Christophorus Vischer *in quinta concione Germanica de secundo præcepto Catechismi, hisce verbis:* Experientia testatur, digitos quibus peieratum est, in æuum non corrumpi, in testimonium super illos, vt ante hac prope Vitebergam, quum ibi literis operam nauarem, in monte Apollinis, eiusmodi tres digiti effossi fuere, toto corpore corrupto & consumpto, vbi seniores eiusd. loci rustici testati fuere, suorum scitu ante multos annos quendam, qui peierauerat, ibidem sepultũ fuisse.

Simi-

Similiter difficulter, vel plane non corrumpi eorũ manus, qui parentes percusserunt, vt infra exempla testabuntur.

CAP. XLVII.

De mortuo manum extendente per sepulcrum.

M. Henricus Roth memorat *in suo Catechismo fol. 107. ann. 1574. impresso*, fœminam Ingolstadii in Bauaria petulãtem & perditum filium habuisse, qui sæpius tum verbis, tum opere matrem male affecerat. Quũ vero mater ipsum haut corrigeret, tandem Deus ipsum puniuit, vt in flore iuuentutis moreretur. Cum vero aliquot dies in sepulcro iacuisset, manum per sepulcrum extendit. Quo comperto & magistratui indicato, Theologi & magistri ea de re consulti, decreuerunt vnanimiter, quia mater ipsum in viuis non correxisset, nunc post mortem facere debere. Tenebatur igitur mater virgis manum vsque ad sanguinis stillationem cędere, quo facto, manus retro in sepulcrum recessit. Hocce moneantur omnes liberi, ne manus iniiciant parentibus, ne & temporalem & æternam pœnam sustinere cogantur.

CAP. XLVIII.

De manu incorrupta.

IN monte sanctæ Annæ etiamnum hodie in cœmiterio pendet manus incorrupta, ex sepulcro tracta, reliquis membris omnibus consumptis, & vt probatum, etiã eiusmodi perditi pueri fuisse dicunt. *Michael Bapst in lib. mirab. med. part. 1. fol. 330.*

CAP. XLIX.

De manu incorrupta.

IDem auctor prædict. loco recenset hanc historiam, Rochliciæ, quæ est mea patria, quum adhuc puer essem, nobili cuidam Bohemico Stanislao à Schuüan, manus amputatur, quæ in cœmiterio prope ossuarium humabatur. Cum vero post aliquot annos templum ad

SS. prope Hospitale exportaretur, & ob id rudera ossuarii diruerentur, prædicta manus incorrupta inueniebatur, cuius vngues pene mediam digiti longitudinem creuerant, quod oculis meis ipsemet vidi, meisq; discipulis ostendi, &c. sine dubio & flagitiũ enorme ea perpetratum fuit. Paulo enim ante, quam manus inuenta, prædationis & furti causa Lipsiæ cum sociis captus, & publice ceu maleficus capite plexus.

CAP. L.

De manu incorrupta.

ERphurdiæ, quæ est metropolis Tyrigetarum, in monte S. Petri ostenditur etiam nunc manus incorrupta filiæ matrem percutientis, multis ab hinc annis.

CAP. LI.

De Alexandrino Episcopo incorrupto.

PResburgi in Hungaria in Ecclesia Parochiali S. Ioannis Eleemosynarii, quondam Alexandrini Patriarchæ corpus, quod ante aliquot centum annorum in mari repertum fuit, adhuc incorruptum ostenditur. Inuenire est in *itinerario Ducis Charitinorum in Vngariam anno 1580.*

CAP. LII.

De cadaueribus Regulorum Indiæ Occident.

IN India Occidentali in Comagra, vt Petrus Martyr refert *de rebus Ocean. decad.* 2. *lib* 3. cadauera non putrescunt. Reguli huius, inquit penetrale ingressi Hispani, cameram reperiunt pensilibus refertam cadauerib. gosampiniis funibus appensis. Interrogati, quid sibi vellet ista superstitio, parentum esse, auorum, atauorumq; Comagri Reguli ea cadauera, inquiunt. De quibus seruandis maximam esse apud eos curam & pro religione pietatem eam haberi recensent, pro cuiusque gradu indumenta cuique cadaueri imposita, auro gemmisque superintexta.

CAP.

CAP. LIII.

De Hispanorum cadaueribus Indorum mensa repudiatis.

EAdem fere, quæ Marcellinus de cadaueribus Persarum inarescentibus scripta reliquit, de Hispanis nouum orbem subigentibus dici possent, vt ex Epistola à milite quodam ad medicum Hispanum è Lima Peruana anno 1568 missa apparet, quæ allegatur in additionibus apud Benzonem *in historia noui orbis lib. 1. cap. 23.* Indos videlicet, quum infinitos Hispanos trucidassent, eos tamen esui aptos negasse. Quippe duriori & exucca carne, nisi tres aut quatuor dies macerentur. Benzo autem ibid aliam rationem assignat, quare ἀνθρωπόφαγοι isti ab esu carnium interfectorum Hispanorum abstinuerint. Postquam enim de acerrimo odio Indorum erga Hispanos multa dixit, suosq; commilitones impios, sceleratos ac perfidos Christianos indignos, quos terra viuos sustineat, adeo, vt ne eorum conspectum indigenę ferre possint, sed eos Viracochias, id est, spumam maris vocitent, retulit. Quanquam, inquit, omnes ferme oræ accolæ humanis carnibus vesci consueuerint, ex iis tamen nonnulli Hispanorum cadauera, qui prœlio cęciderant, cæteris mandantibus à tali cibo abhorrebant, veriti nempe, ne etiam tum eæ carnes corporibus suis aliquid damni afferrent *Camer. in oper. suceis. c. 14.*

DE MIRACVLIS MORTVORVM PARS QVARTA.

MIrum, quam mirabilis Deus, quam mirabilis natura? Non tam varia, non tam mirabilia in viuentibus contigere, quam in mortuis, imo maiora in his, mirabiliora, & quæ mortales in summam admirationem & stuporem rapiant, quorum pars hæc innumera recenset.

CAP. I.

De muliere mortua impraegnata.

ROgerus *in Chronicis Angliæ* hanc ſcripſit hiſtoriam. In inſula quadam Deyſa fuit quædam puella, à cuius nomine inſula dicta eſt, quam quidam miles dilexit, & illa noluit conſentire illi, quam diu vixit, defuncta autem illa, miles acceſſit & concubuit cum illa dicēs: Quod cum viua facere non potui, cum mortua feci. Et ſtatim intrauit Sathan in eam, & ait: Ecce genuiſti in me filium, & cum natus fuerit, afferam eum ad te. Et poſt nouem menſes, cum tempus pariendi inſtaret, peperit filium abortiuum, & portans eum ad militem ait: Ecce filius tuus, quem genuiſti, abſcinde caput eius & reſerua tibi, quandocunque enim volueris vincere inimicum tuum, vel terram eius deſtruere, capitis abſciſſi vultus diſcooperiatur & reſpiciat inimicum tuum, vel terram eius, & ſtatim peribunt. Et cum ceſſare volueris, recooperiatur vultus, & ceſſabit tribulatio. Et factum eſt ita. Poſt multum vero temporis miles ille duxit vxorem, quæ ſæpius interrogauit eum, qua arte, vel quo ingenio ita ipſe deſtruebat inimicos ſuos ſine armis & ſine exercitu, ille autem ei dicere noluit. Contigit ergo quodam die, dum miles abeſſet, quod illa acceſſit ad arcam, in qua ſperabat ſecretum illud eſſe Domini ſui, per quod ille ita operabatur, ibique in arca inuenit caput illud deteſtabile, & ſtatim abiens proiecit illud in Gulfo Sataliæ. Hanc hiſtoriam adſcribere libuit Ricardo Argentino Anglo *lib. de præſtig. c. 56.* vt lectori innoteſceret, quam diligens ad perpetrata facinora ſit aſſecla Dæmon, vt ex vna nece ſepeliantur cadauerum myriades.

CAP. II.

De Manibus Cretenſium Catehanis.

LEgimus etiam in Cretenſium annalibus, Manes, quos ipſi Catehanas vocant, in corpora remeare ſolitos

solitos,& ad relictas vxores ingredi, libidinemque perficere: ad quod euitandum & quo amplius non infestent vxores legibus municipalibus cautum est, surgentium corda clauo transfigere, totumque cadauer exurere. Miranda procul dubio sunt hæc & opinioni fortè inimica videri possent, nisi fidem facerent, & latæ leges, & creditæ antiquitatum historiæ *Cornel. Agrippa de occult. Philos. lib 3. cap. 41.* Apud Leucos mulier mihi narrauit, se viro suo moribundo verba quædam in aures susurrasse, ipsumque per quatuor annos singulis noctibus, except. Veneris & Saturni ad se rediisse, & rem Veneream exercuisse.

CAP. III.

De Pilapiis cum Genitis conuersantibus.

IN peninsula quadam maris Glacialis populi esse dicuntur, Pilapii nomine, qui continuo cum defunctorũ vmbris edunt, bibunt, ac familiariter, nõ secus quam cum viuis conuersantur. *Stroz. Cicogna in theatr. vniu. nat. par. 1 lib. 3. c. 6.*

CAP. IV.

De muliere mortua pariente.

VAlerius Maximus *1. cap. vlt.* refert, Gorgiam quendam Epirotam, in funere matris suæ vtero elapsum & inopinatu vagitu suo lectum ferentes consistere coegisse, & ita matrem fato functam peperisse. Gorgiam ante elatum quam natum fuisse. Hinc, vt refert Iurisconsultus Marcellus *in l 2. D. de mort. inferendo.* negat L. Regia, mulierem quæ prægnans mortua sit, humari antequam partus ei excidatur, qui contra fecerit, spem animantis cum grauida peremisse videtur.

CAP. V.

De Paulo Apostolo decollato.

DE Paulo Apostolo habetur, quod cum Romæ sub Nerone martyrii coronam accepit, abscissum eius caput ter Iesu nomen inclamasse dicitur, ex quo primo saltu tres fontes aquarum emanarunt, quod mire probare videntur tria vetustissima oratoria super illos constructa, de quibus Blondus Flauius *lib. 3, instaurata Roma* ita refert: Visuntur ab vrbe secundo milliario inter Ostiensem Ardentinamque viam dulcis aquæ fontes, qui fuso Apostoli Pauli sanguine eruperũt. Hi tres fontes nomen dedere ecclesiæ & monasterio. *M. Attilius Serranus de 7. vrb. eccles. De ecclesia SS. Vincentii & Anastasii ad tres fontes siue ad aquas saluias. p mihi 42. Onuphrius Panuin. de pracip. vrb. Rom. basil de oratorio S. Pauli ad tres fontes p. mihi 114. Fr. Schottus in itin Italia p 2. De Roma p. mihi 35.*

CAP. VI.

De mortuo clamante.

CIrca annum 1080. celeberrimus quidã Doctor propter eruditionem & vitæ integritatem è viuis excessit. Is quum sepeliẽdus esset in quodam templo, horribili voce clamauit: Iusto Dei iudicio accusatus sum. Pheretrum igitur in templo multis vndique confluentibus ad spectaculum, per triduum reliquerunt. Secũda die clamauit: iusto Dei iudicio iudicatus sum. Tertia die: Iusto Dei iudicio condemnatus sum. Quidã, vt Vincentius Bellouacensis addunt fortassis de suo, quod ter in pheretro se leuarit. Quoniam autem celebrem & insignem hunc virum nemo æternum periisse suspicatus fuisset, omnes obstupuerunt. Bruno itaque Magister Theologiæ, patria Coloniensis, statim omnia reliquit & sex piis viris comitatus, in locum desertum se contulit, qui Carthusia appellatus fuit, in diœcesi Gratianopolitana, vbi primum monasteriũ illius ordinis extruxit, qui postea ab hoc loco Carthusianus ordo dictus est.

Qua

Qua de re ipsi monachi huius familiæ peculiarem librum diuulgarunt. *Polidor. Virgil. Lauaterus de spectris par.2.c.3. Petrus Bonfons in Fastis antiquit. Parisiens. lib. 2.c.12.pag mihi 172 Natal Tallepied de appar. spirit. c.12. Francisc. Puteus in vita Brunonis. Petrus Thymeus de appar Christi in iudic. part.c.6.*

CAP. VII.

De mortuo è pheretro exsiliente.

RAnulphus *lib.5. c.7.* narrat Comitem Richardum quadam nocte solum orationis gratia ingressum templum, inuenisse ibi sandapilam, in qua mortui cadauer erat repositum, Dum autem Comes oraret, subito mortuus ille magno cum strepitu è feretro exsiliit, & extensis brachiis quasi in amplexum eius ruiturus, ad Comitem accessit. Quem quum Comes signum crucis fronti suæ imprimens, frustra intensius vt recederet, adiuraret, stricto gladio illum dissecuit, & exinde statuit per totam terram circa funera vigilias celebrari.

CAP. VIII.

De cadauere viuum ementiente.

REfert Eunapius, Magum Ægyptium carminibus suis quem produxisse, qui Apollinem mentiretur, Iamblichum, & ipsum magiæ non imperitum spectatores monuisse ne crederent hunc esse Apollinem, sed cadauer esse gladiatoris, qui ante biduum in pugnæ & ludorum commissione fuerat interfectus, deinsusurratis quibusdam carminibus magicis effecisse, vt aufugiente, qui regebat spiritu cadauer gladiatoris fœtidum in terram concideret.

CAP. IX.

De S. Cassiano.

SAnctus Germanus Pontifex Anthisiodorensis Romam petens, cum Edriam deuenisset, ad tumulum sancti Cassiani diuertit, quem proprio vocans nomine

Quid, inquit, agis frater cariſſime? Et ille de tumulo: Dulci, inquit, in pace requieſco, & aduētum redemptoris expecto. teſtatur D. Bernhard. *ſerm. 2. de virginib.*

CAP. X.

De Cranio loquente.

EXtat hæc narratio apud Damaſcenum, qui ſcribit de Macario, quum ſecundum ſuam conſuetudinem pro defunctis preces funderet, & cuperet ſcire, nunquid illis prodeſſent & conſolationem inde perciperent. Deus volens hoc ſeruo ſuo patefacere, Cranio quod exaruerat, verbum veritatis inſpirauit, prorupit enim cranium in hæc verba: Quando pro mortuis oras, conſolatiunculam ſentimus. *Lauat. de ſpectr. p. 2. c. 3.*

CAP. XI.

De Diuo Proculo.

BOnoniæ in Romandiola extra portam ſancti Mammoli in via ad montem hoc miraculum in columna lapidea inſculptum exſcripſi. Hic ſanctus Proculus miles Bononienſis ſancto martyrio coronatus abſciſſo capite, quod ad locum vbi eius nunc templum eſt, propriis manibus tulit, Anno Domini 519. *V. Carol. Sigon. in eius vita apud Sur. tom. 3.*

CAP. XII.

De S. Dionyſio.

VT referunt P. Viel. T. Tignou, & alii in hiſtoria de vita mort. & miracul. ſanctorum Pariſiis impreſſ. *p. 410.* S. Dionyſius Areopagita cognomento, quum decollatus eſſet ſub Imperatore Traiano, leuauit ſeſe, & prehendit ſuum caput in brachiis, & portauit de monte dicto Mercurii vbi fuit decapitatus, vſque ad duo milliaria, ad locum qui nominatur vicus Catullianus, aſſociatus infinita multitudine Angelorum, teſtis in hiſtoria S. Dionyſii *M. Ioannes Dor magnus prior Abbatiæ eiuſdem in Francia. Petrus Bonfons in Faſtis antiquit. Pariſ. lib. 1. cap. 15.* Fuit quandoque contentio in Parlamento Pa-

to Parisiensi super veneratione capitis S. Dionysii in ecclesia Parisiensi, & in Abbatia S. Dionysii prope Parisios vt refert Ioannes de Gerson *in apologia pro puella ductrice exercitus Francorum.*

CAP. XIIII.

De Heraisco Aegyptio post mortem lucescente.

SIc Leonic. *de var. histor lib 2. cap. 98.* De Heraisco Ægyptio, qui Æsculapii fillius, qui mysticam Ægyptiorum Theologiam, hymnosque & triginta millium annorum res gestas conscripsit, contemporaneus fuisse dicitur, isthæc memoria prodita accepimus: fuisse eum diuina quadam natura præditum, nullisque disciplinis imbutum, à pueris & patrii etiam doctrinarum, expertem ritus, mira nihilominus opera factitasse, vt quantum ab Æsculapio ingenio superaretur, & artibus tantum ipse excellenti quadam & diuina præstaret natura. Siquidem solo simulacrorum contuitu, quæ aliquod appositum, præsensque in se numen haberent, commouebatur adeo & diuino veluti furore concitabatur, vt neque corpore, neque mente vnquam posset consistere, certissimaque præsentium numinum signa, ex sese redderet, quorum mihi videbatur efficere, si quando ad inanimas, vt aiunt, & nullo occupatas numine statuas respiciebat. Inerat præterea illius naturæ diuina quædam vis congenita, quæ non mundas mulieres non oculis tantum, sed voce procul etiam audita cognosceret, statimque capitis dolore non modico eam ob rem tentaretur. Multaque præterea alia in viro illo per omnem vitam diuinæ & excellentis naturæ indicia animaduersa fuisse perhibentur. Sed cum extremum clausisset diem, eique ab Æsculapio, vt sacerdotibus mos est Ægyptiis, iusta persoluerentur, quos vita functos Osyridis sacris velaminibus circumdare solebant, tanta repente ex illius corpore emanasse dicitur lux, vt velaminum illorum sacri characteres, qui alioquin abditi latentesque huma-

humanis esse dicuntur oculis, clarissime perspici & dignosci possent, sacræq; etiam diuinorum phantasmatũ vmbræ corpus illud circumuolitasse perhibētur, vt certissime diiudicatum sit, diuinum illius animum ad immortalium contubernia Deorum procul dubio commigrasse.

CAP. XIV.

De puero Suessionensi, cuius facies post mortem candescebat.

ANno Domini 1428, in Suessionensi vrbe puer omnem veteris Testamenti historiam rithmice referebat: ipsum quoque Euangelium omne, ac quicquid Christus egisset in terris, adeo omnia recolēs tenaci memoria, occlusisque oculis, velut ex scripto recenseret, idiotas atque illiteratos adeo auersabatur, vt hæc coram illis dedignaretur: asserebat autem is hæc non aliunde didicisse, quam infusa diuinitus gratia beatæ M. virginis afflante numine. *Rob. de Mont.* Quod id fit admirabilius eo nomine, quod is pecorũ custos erat, literarumque ignarus prorsus. Obiit tandem, cuius cadauer velut diuina gratia perfusum, prospectabatur candore quodã quasi Angelicam referens faciem coruscante vultu, *vt S. Antonius memorat lib. 16. c. 14. §. 2.*

CAP. XV.

De S. Albano.

SAnctus Albanus presbyter & martyr sub Diocletiano Moguntiæ decollatus est, mortuum cadauer arrepto proprio capite, ad eum locum, vbi sepeliri voluit, detulit. Ricolphus inde Archiepiscopus Moguntinensis ibi ecclesiam construxit, & S. Albani sepulcrum exaltauit, & exornauit extra Moguntiam in monte. Anno Domini 380. *Petrus Merssaus in catal. epis. Mogunt.*

CAP. XVI.

De SS. Geruasio & Prothasio.

De

DE SS. Geruasio & Prothasio, qui Mediolani decollati fuere, legitur, quod corpora eorũ à S. Ambrosio ex diuina reuelatione inuenta fuerint, ita bene olentia & incorrupta, ac si breui fuissent mortui. *Calen. Hondorff.* prope castellum conspicitur adhuc lapis rectus, in cuius basi S. Prothasius martyrii coronam suscepit. Refert B. Ambros. ad sepulcra Prothasii & Geruasii, attestatione totius populi Mediolanensis, rugire dæmones cõsueuisse. Legitur in historia Friderici Barbarossæ, Reinald Archiepiscop. Colon. accepta eorum corpora, vnũ dedisse ciuitati Brisaico, videlicet S. Geruasii, cum autẽ vellet soluere Episcopus, nauis locũ relinquere noluit, ex quo Episcopus animaduertit, sicut in vita vnanimes fuissent, ita nec in morte separari velle, vtrumq; igitur ei donauit.

CAP. XVII.

De mortuo loquente.

MIrabile est inprimis, quod Bonfinius scribit *lib. 3. Hung. histor. decad. 3.* Anno circiter tertio, inquit, post cladem ad Nicopolim Sigismundo Imp. à Turcis acceptam, quum multi in eum campum descenderent, emissam inter ossa vocẽ subinde audiuerunt, Iesu Christi saluatoris & Mariæ virginis nomina intonantem, loquax inter cadauera caput inuentum, quod vbi homines sibi adesse nouit: Quid tam, inquit, stupidi hic statis viri? Christianus ego sum inexpiatus, inconfessus, in hoc bello occubui Maria mater me æterni supplicii reum esse non patitur, hæc me adhuc linguæ compotem seruauit, vt delicta fateri, & animum sacris Apostolicis lustrare queam, proinde sacerdotem, qui cõfessionem audiat, & me expiatum reddat, accersite quæso, rogatus, quo tandem à virgine beneficium promeruisset, respondit sibi peculiarem fuisse in eam in vita deuotionem, & septena eius festa quotannis reuerendissime celebrasse, religiosisq; ieiuniis pane duntaxat & aqua decorasse. Quare accersito è pago proximo sacerdote, confessionem rite transegit, & impetrata errorum omnium remissione,

acce-

acceptaque nouissima lustratione repente cōticuit, perpetuoque quieuit. Hæc Bonfinius. Simia quidem Dei Diabolus, similia Dei permissu, idemque sæpe conatus est, & adhuc fortasse conatur ad diuinam vindictā prudentiamque manifestandam. *Stroz. Cicogn. in theat. vniu. nat par. 1. lib. 4. c. 6.*

CAP. XIII.

De Polycriti infantis deglutiti capite loquente.

SPiritus incubus in Polycriti forma, Ætolorum Princeps creatus esse, & iuuenculam Locrensem vxorem duxisse legitur, cum qua tribus exactis maritali consuetudine noctibus subito disparuit, grauidamque vxorem reliquit, quæ postea Hermaphroditum monstrosum valde partum edidit. Mulieris parentes attoniti, monstrum in forum detulerunt, vbi conuocato Senatu, vocatisq; aruspicibus, deliberatum fuit, quid monstro illo faciendum esset, consuluerunt alii, vt partus flamma aboleretur, alii, vt mater cum partu Ætolorum finibus exigeretur. Heic Polycritus nigro vestitu amictus repente apparuit, & precibus primum, deinde minis filium reposcit. Recusantibus Ætolis in medium prosiluit, & infantem apprehensum totum deglutiuit, capite excepto, statimque disparuit, Ætolis ingenti stupore perculsis, & de legatis ad Oraculum Delphicum mittendis consulentibus, infantis caput in medio foro iacens loqui cœpit, & graui oratione magnam cædem prædixit, quæ non multo post sequuta est, prælio inter Ætolos & Acharnanenses commisso, refert Stroz. Cicogna *in theat. vniuer. nat par. 1. lib. 3 c. 2.*

CAP. XIX.

De capite Orphei & Publii Ducis Rom.

ORphei caput, si Philostrato credimus, Cyro Persarum Regi prędixit, eum quoque à muliere necandum. *Consule Leonic. de var. histor. lib. 1. cap. 17. de Orphei tumulo in monte Olympo. & de Lybethræ vrbis interitu.*

Sic

Sic caput sacerdotis cuiusdam Iouialis, teste Aristotele, Cercydam homicidam indicauit. Phlegon Trallianus scribit, quo tempore Acilius Glabrio Consul vicit Antiochum Regem Asiæ, deterritos Romanos oraculis, ne amplius inuaderent Asiam, & Publii Ducis Romanorum caput relictum à lupo, qui corpus deuorauerat, vt ipse prædixerat, furore diuino, vt putatur, percitus, cecinisse longo sermone, aduenturam cladem Romanis.

CAP. XX.

De Spectro mortis saltante.

DE Alexandro Scotorum Rege, eius nominis tertio ex Boethio scribit Cardanus *de rerum var. lib. 16.* is Ioannam Henrici tertii Anglorum Regis sororem in matrimonio habuit: qua sine filiis defuncta, Margaritam eiusdem Regis filiam vxorem duxit, ex qua Alexandrum, Dauidem, & Margaritam suscepit, quibus omnibus morte sublatis, Rex nõ abiecta penitus hæredis successoris spe, Iolantam filiam Comitis Draconensis (alii Campaniæ Comitem faciunt) tertio sibi despondit. Dũ igitur noctu festum celebratur, vidẽt sceleton, vel mortuum carnibus exutum in fine choreę saltantem Quod vbi à Rege cæterisque est animaduersum, attoniti primum substitere, deinde omen auersati, non tunc solum, sed in posterum etiam nuptiales iocos dimiserunt. Eodem anno Rex equo excussus periit, post cuius mortem graues sunt seditiones exortæ.

CAP. XXI.

De equite Mercurio.

APostata Iulianus Imper. communis omnium inimicus & hostis, multam iniquitatem in excelsum locutus atq; meditatus est, & ideo quum Romam tenderet, Deus excitauit equitem, qui ante multos annos in monasterio sepultus erat, nomine Mercurius, hic occurrebat ei, & lancea ipsum sua per pectus transfodiebat & dein conferebat se iterum in sepulcrum. Eius capu

adhu

adhuc seruatur Moguntiæ ex manuscripto vetusto. Ioannes Damascenus ex Helladio in vita sancti Basilii, quæ quidem hodie non extat, de eo sic docet: Pius vir (vt ipse narrat) dominæ nostræ adstabat imagini, in qua Mercurii etiam celebris martyris figura descripta erat, adstabat autem supplicans, vt impius Iulianus apostata tolleretur. Ex qua quidem imagine didicit quid esset euenturum. Vidit enim martyrem ad exiguum tempus obscurum, non multo autem post hastam cruentam tenentem. *Hæc ex Helladio Damascenus lib. 1. de imaginib. diuersorum. de hac re sententias videre est Tom. 4 annal. Cæsar Baron. c. 218. 219 Coluener. in not. ad Cantipratan. de mirac. lib. 2. c. 29 §. 14.*

CAP. XXII.

De S. Wigbrechto.

IN vita S Wigbrechti Confessoris Fritzlar. autore Lupo Seruato legitur *c. 11.* Verum hora exitus ipsius admirationis plena res obtigit. Circumstantibus fratribus visa est auis quædam specie pulcerrima, supra eius corpusculum ter aduolasse, nusquam post hac comparuisse. Idem autor de difficultate translationis eiusdem cap. 14 Namq; comitante immani multitudine cum in vallem non adeo depressam ventum esset; quæ ex aduerso est oppido, ibique sacros cineres paululum quieturi deposuissent, ac mox quo cœperant, contendere præpararent, mirabile dictu, grauatæ sunt quas hactenus detulerunt, reliquiæ, nec eas fuit loco moueri facultas Hinc consternati, satiusque sibi ducentes extrema illic experiri, quam in ancipiti patronum relinquere, tandem instantissimis precibus domini scientiam flectentes obtinuerunt: ac feretro summa releuato facilitate voto potiti sunt.

CAP. XXIII.

De S. Francisco de Paula.

DE Francisco de Paula ordinis Minorum fundatore legitur, quod cum ex hoc seculo abiisset apud Turones

rones in Galliis dies vndecim insepultus, atq; incorruptus ita permansit, vt suauis odor mirifice ex eo manaret, testatur *Officium ex pracep. Sixti Pontif. in festo S. Fr. de Paula.*

CAP. XXIV.

De S. Ianuario.

DE sancto Ianuario Beneuenti Episcopo Diocletiano & Maximiniano in Christianos sæuientib. Puteolis gladio percusso legitur: Quod eius sanguis, qui in ampulla vitrea concretus asseruatur; cum in conspectu capitis eiusdem martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri, & ebullire, perinde atque recens effusus ad hæc vsque tempora cernitur. *Offic. Sixti P. in festo SS. Mart Ianuar. & Soc. Fulgos. l. b 1. c. 6. De mirac.* addit: id etsi satis patet, nos tamen vt certius rem intelligeremus eorum, qui in re præsenti fuerunt, intentisque oculis diligentes se spectatores præbuerunt, testimoniũ habere voluimus. *Vide Scip. Mazzella. del antichita di pozzuolo c 7. della solfarata.*

CAP. XXV.

De Formoso P.R.

DE Formoso I. P Rom. 113. refert Abbas Vrspergensis *in Chron. 3. par fol. mihi 399* quod Sergius P. (verum Chonologia Pontificiali, in lingua vulgari Italica id Stephano V I. adscribit omisso Sergio, vt & Fulgosius *lib. 9. c. 3. de ira & odio.*) eius cadauer (à secundo tumulo secundum Fulgos.) effoderit, in cathedram Pontific. collocarit in Pontificali habitu, caputque amputarit, postea exuto tres digitos absciderit, & corpus reliquum in Tyberim proiecerit. A piscatoribus autem cum extraheretur, & in templum D. Petri portaretur, aliquot imagines sanctorum sese flexerunt, & cum reuerentia eum salutarunt *Ranulphus lib 6 c. 4. In Polycranio, Leo Hostiensis lib 1 c. 48. in Chronico Casinensi. Cramerus in reuelat. Antichristi. p. 29.*

CAP. XXVI.

De Syluestro II. Pont. Rom.

HOc miraculum Platina Pontificius scriptor refert de Syluestro II. Pontif. Max. prius quam Pontifex Romanæ sedis moriatur, ossa ipsius Syluestri, qui in Laterano sepulturæ datus est, tremere & mouere sese, & sepulcrum sudare, quod ab eo tempore semper Pontificum mortem dicitur prænunciasse. *Balæus lib. 5. de Rom. Pont. historia latior est apud Platinam, quem Panuinius reprobat, testatur Bonifacius Simoneta lib. 5. c. 50.*

CAP. XXVII.

De Eudoxia Imp.

IMp. Eudoxia D. Ioannis Chrysostomi dæmon, cum moreretur & sepeliretur, visus est sarcophagus eius moueri, *vt Nicephorus in historia ecclesiastica testatur lib. 13. cap. 36.*

CAP. XXVIII.

De S. Clara de monte Falcon.

G*Ronad. sermon. 2. Trin. de S. Clara de Monte Falcon.* quod in eius corde passio Dominica mirabiliter insculpta, & tres globuli inuenti fuerint, refert mirabile mysterium sanctissimæ ac indiuiduæ Trinitatis perspicue exhibentes, in quorum vno, quantum in tribus inerat ponderis.

CAP. XXIX.

De corde auari hominis inuento in ærario.

INter alia miracula S. Antonii de Padua, quæ ibidem in eius templo miro artificio à P. Lombardo in marmore insculpta & elaborata cernuntur, & hoc habetur: post mortem auari hominis fuit cor eius inuentum in scrinio denariorum, ad confirmationem sermonis prædicati ab Antonio, *Vbi est thesaurus, ibi est & cor tuum. Petrus Bertell. in eius vita.*

CAP.

CAP. XXX.

De cruce reperta in osse pectoris Fr. Voluandi.

SIc Cantipratanus *lib 1. de mirat. cap. 25. lib. 6.* Sed & de Fr. Voluando priore ordinis fratrum Prædicatorum in Argentina ciuitate Teutoniæ, rem præcipue mirabilem & deuotam propriis oculis vidi. Hic semper fere siue gradiens, siue stans, siue sedens, pollice signum crucis in pectore depingebat. Contigit autem vt Moguntiam veniens moreretur. Prædicatores de Argentina ossa eius petiuere, & impetrare. Ossa fratres diligentius abluentes, os pectoris, cui ex vtraque parte cohærent costæ superius insignitum cruce operosissima repererunt, & hoc quasi scutum interius. Erat autem crux (vt ipse ad hanc videndam quadraginta milliaribus laboraui & lætis vidi oculis meis) in ossis medio, ex substãtia ossea, ad spissitudinem euidentissimam eleuata, tribus superioribus brachiis æqualis longitudinis, & inferiori brachio decentissime longiori, extremitates vero trium brachiorum superiorum, instar repandi lilii recuruatas & brachium inferius quasi trunco deberet infigi, exacuatum habebat.

CAP. XXXI.

De Simonide à mortuo admonito.

DE Simonide habetur, quod quum ignotum quendam mortuum proiectum vidisset, eumque humasset, haberetque in animo nauem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo quem sepultura adfecerat, si nauigasset, eum naufragio esse periturum. Itaque Simonidem rediisse, periisse cæteros, qui tum nauigassent, magna cum eorum admiratione, quibus Simonides rẽ antea aperuerat, refert *Stroz. Cicogna in theat. diuin. nat par. 1. lib. 2. c. 4.*

CAP. XXXII.

De Monacha mortua loquente.

APud Auernos vir & vxor cum abstinuissent perpetuo à carnis commercio, ille quidem clericatum subiit, hæc vero religionis habitum: defuncta postea puella, cum iam sepulcro imponeretur, maritus hæc verba protulit: Gratias ago Deo meo, omnium opifici, quod eam reddam illi intactam & impollutam. Illa vero inquit: Sile, sile vir *Dei*, quia non est necesse aperire nostrũ nemine interrogante secretum. Hæc ex Gregor. Turonensi *in glor. confess. c. 32.* quæ etiam habet historia Gall. *lib. 1. c. 42.* Simon Maiolus Episcopus Vulturariensis *in diebus canicularib. p. 61.*

CAP. XXXIII.

De capite mortuo loquente.

CIrca annum Domini 1200. in Vienna repertũ fuit caput cuiusdam defuncti, lingua adhuc integra cũ labiis, loquebatur recte. Episcopo autem interrogante, qualis fuisset in vita, respondit: Ego eram paganus & iudex in hoc loco, nec vnquam lingua mea protulit iniquam sententiam, quare etiam mori non possum, donec aqua baptismi renatus ad cœlum euolem, quare propter hoc hãc gratiam apud Deum merui. Baptizato igitur capite, statim lingua in fauillã corruit & spiritus ad Dominum euolauit. *Wernerus Roleuinck Larensis de Westphalia lib. 1. c. 3.*

CAP. XXXIV.

De B. Catharina Alexandrina.

HÆc Catharina Alexandrina sub Maximino rota, ad quam dãnata erat, de cœlo tacta, decollata est, cuius corpus ab Angelis in montem Sinai Arabiæ deportatum fuit, quo adhuc magna & frequens peregrinatio est. *Caspar Goltwurm in fast. eccles. fol 309.*

CAP.

CAP. XXXV.

De Agnete Politiana.

IN vita & miraculis Catharinæ Senensis *c.19.* legitur, quod prona in corpus B. Agnetis Politianæ ordinis Prædicatorum, iam olim defunctæ deuotionis ergo decidens, à virgine pedem eleuante mirabiliter honestata fuerit.

CAP. XXXVI.

De Catharina Senensi.

CAtharina Senensis Pisis sumpta SS. Eucharistia de more in ectasin rapta è fulgentibus cruentorum radiorum, instar Christi vulneribus beatissimæ stigmata passionis excepit. Fida tamen cœlestium domorum custos virgo precata est Dominum, vt manente dolore signa delitescerent, quod & ad mortem eius impetrauit. In eius vita c. 23 De quibus tamen inter fratres ordinis S. Francisci & fratres ordinis Prædicatorum, quorum illi protendunt, imaginem S. Catharinæ de Senis non esse depingendam cum stigmatibus, sed solius S. Francisci imaginem ita depingi debere, alteratio & contentio fuit summa, quam præcidere cupiens, Clemens Papa VIII. S. R. E. Cardinalibus negotium istud examinandum, cognoscendum, & decidendum, ac terminandum commisit, cum decreto tamen, quod interim nihil innouaretur, vt patet ex diplomate vitæ eius præmisso. Consul Henricus de Hassia in tertia parte Epistol. super conceptione beatæ Mariæ virginis, c. 2. Inueni, inquit, quandoque scriptum beatos gestaturos stigmata vulnerum militando pro Christo hic susceptorum insignia victoriæ & strenuitatis. Legi in Euangelio, quod Christus post eius resurrectionis gloriam suis discipulis ostēdit cicatrices & pedum, & manuum, & lateris, quæ & tribus causis præcipue reseruauit in corpore, licet incorruptibili, & dotibus gloriæ prædito, scilicet ad corroborandam fidem Apostolorum, quod surrexerat, & vt semper repræsentet patri, quale genus mortis tulit pro no-

bis, qui est quidam modus intercedendi pro nobis, & vt in iudicio videant perfidi, in quem pupugerunt, & ostendat omni carni signa victoriæ suæ miles, qui fortiter egit, & multis vulneribus perfossus est, si ait illi medicus, vis sanari sine omni cicatrice, vel cum cicatricibus sine omni deformitate, puto quod in signũ gloriæ suæ, & pro exemplo, alios animandi ad idem reseruauerit cicatrices, his signis decoris, his stigmatibus honoris, non indiciis pudoris, cœli incolæ Dei, milites strenuissimi gloriose fulgent in regno cœlorum, illic Franciscus in gloria stigmatum Christi confortatur. Illic Sebastianus multitudine vulnerum cicatrice gloriatur, Paulus decollationis stigmate per collum decoratur. Quo etiam Petrus splendet alte glorius & decollatorum omnium valde numerus, illic Laurentius stigmate gaudet ignis, Bartholomæus rubore fulget sanguinis, omnis martyr decore sui fulget vulneris.

CAP. XXXVII.

De Equite innocenter damnato.

Eques quidam in aula Imperatoris Ottonis III. innocẽter ab ipsius Imp. coniuge Maria & falso attentati adulterii insimulatus, & sic capitali supplicio affectus est. Verum sanguis eius non ruber, sed candidus instar lactis fluxit. Ex quo signo innocẽtiæ eius argumentum sumptum, & ipsamet Imp. coniux Mutinæ combusta est.

CAP. XXXVIII.

De Moyse fictitio.

In Socratis historia ecclesiastica vnus ex spirituum numero, sub figura Moysis, integrum per annũ in Creta insula ostentasse se legitur, ac Iudæis persuasisse, velle se eos iterum vltra mare sicco pede traducere. Quum ad condictum diem ingens Iudæorum turba conuenisset, personatus ille Moyses altam eis crepidinem littoris commonstrans, natatu eo traiicere iubet, inde se tutum illis iter per mare aperturum. Tantum valuit perfidi

spiritus

ſpiritus fraus, vt multi confeſtim in mare inſilirent, qui magna ex parte fluctibus abrepti piſciculus eſca fuere, pauci piſcatorum lintribus excepti, ægre ſemiviui, ad littus reportati ſunt, interim bonus ille Moſes Hegemonius nuſquam comparet.

CAP. XXXIX.

De Arturo rege Britanniæ.

ARturus præſtātiſſimus rex egregius belli laude togaque fuit, hic quum in prælio multos hoſtes fuderat, & ipſemet grauiter vulneratus, in inſulam quandam à ſuis deductus & vt Anglici annales tenent, inſulam eam reliquit, & poſtea nunquam viſus fuit & indies à Britānis aduentus eius exſpectatur. *Matthias Quad in memorabilibus mundi c. de rege Arturo.* Arturum tantæ famæ tantæque gloriæ virum Britones nulla ratione adduci poſſunt vt mortuum credant, præſertim cum in nullis annalibus inueniri poſſit ſcriptum, vbi nam vel mortuus fuerit, vel ſepultus, ſed omnis aut pœne omnis illa natio adhuc eum in inſula Auallonis, quo curatum deportatus eſt, delitere ac viuere opinatur, vſque ad reuocationem ſuæ gentis. ipſo duce in inſulam regni patrum ſuorum, Niueum autem ſenem Merlinus eum vocat Proph. lib. 3. propter vitæ longæuitatem. *Alanus de Inſulis. in Exemp. Proph. Merlini.*

CAP. XL.

De Friderico Imp.

DEcem annis poſt eius obitum anno Chriſti 1261. extitit quidam veniens magno exercitu Fridericū ſe ſimulans, regnum Siciliæ repetens à Manfredo verū à principibus pulſus, & occiſus, ab hoc Imperat. Friderico, noua hæreſis exorta eſt, quæ ad huc clam viget. Firmiter namque tenet, Fridericum Cæſ. adhuc viuere & viuum manere ad vltimum iudicii diem vſq;, & nullū verum Imp poſt eum factū & ipſum ambulare in monte confuſionis vulgo *Kyſhauſen* in Thuringia in deſtructa arce & loqui cum hominibus & quandoque apparere

rere. Putatur quidem à multis ante vltimum diem potentem Cæsarem venturum, qui pacem Christianitati reddat, & vltra mare profecturum, sacrum bustum recuperaturum, & hunc nominari Fridericum propter pacis amorem, non quod ita baptisatus *ex M. S S.* Ann. 1284. senex vir Coloniam venit, qui affirmauit se esse Fridericum Imperatorem, qui iam ante annos 34. mortuus erat, tantumque consecutus est fauorem apud Nouesios & Wetzflarienses, vt summo in honore haberetur, tandem detecta fraude cõbustus est *Chron. Alberti Crantz. lib. 8. c. 34. Auentin. lib 7.*

CAP. XLI.

De Carolo Burgundo.

QVum Carolus Burgundiæ Dux ante Nanceium in Lotharingia cęsus esse, proximo septennio, quod est viri cædem insequutum, omnib. locis multus & varius de illo iactatus est sermo, affirmãtibus quibusdam viuere eum, Bruxellæ oppidulo Sueuiæ, aliis contradicentibus, non interfectum ante Nanceium, sed captũ & abductũ in Galliã, ibi in cõspectu Regis Ludouici gladio admotum periisse, alii tenebant ipsum volũtarie in Germaniam profectum, ibi velle eum septennalem agere pœnitentiam, & tempore eo elapso rediturum, acceptã cladem vindicaturum. Et spes de Caroli vita, quæ postea vanissima comperta est, in causa fuit, vt paucissimis locis celebratæ sint eius exequiæ. *Caspar Hedio in 4. par. Chronic. de Carolo Burgund. p mihi 645. Hadrianus Barlandus de Carolo Burgundo.*

CAP. XLII.

De B. Stanislao Episcopo Cracouiensi.

VT refert Petrus Querrad, S. Stanislai Episcopi Cracouiensis & martyris, qui à Boleslao Rege ad sacrũ altare occisus, mebra disiecti corporis mire splendentia, à quatuor aquilis custodita, & disiecta eius corporis mẽbra diuina vi vnita anno Domini 1087. *Krantz. Vandal. lib. 3. c. 14. Longinus in vita S. Stanislai. ap. Sur. tom. 3.*

CAP.

CAP. XLIII.

D. S. Eadmundo Angliæ Rege à lupo conseruato.

CVm sanctissimo Regi Eadmundo à barbaris ob Christi fidem amputatum fuisset caput, vnde martyrii coronam longe Regia præstantiorem acceperat, abiectumq; inter vepres esset, compertus est immanis lupus, sacrum illud caput inter brachia complexus, procumbere humi, excubias impendere martyri, ne ab vlla bellua læderetur, vt scribit Abbo Floriacensis Abbas, *ap. Surium tom. 6. mense Nouemb.*

CAP. XLIV.

De S. Adelberto Archiepiscopo Gnesn.

VT refert idem Petrus Ouerrad, S. Adelbertus Archiepiscopus Gnesnensis 2. & martyr, regni Poloniæ patronus, gladio septemque lanceis confossus, & remo dire necatus est. Graue sancti demortui corpus lance impositum, depresso diuinitus auri exigui pondere redemptum.

CAP. LV.

De Benedicto Suiradi.

VT refert idē Petrus Ouerrad. corpus Benedicti Suiradi martyris Camaldulens. Poloni post annum Aquilæ iudicio illud quotidie obseruātis incorruptum repertum est.

CAP. XLVI.

De miraculosa effigie R. P. Henrici Garneti Societatis Iesu martyris Angliæ 30. Maii 1606.

LOndini matrona quædam Catholica & proba ex stramine R. P ac martyris Henrici Garneti sanguine tincto stipulam habebat. Eam ipsa & amici religiose inuentes, animaduerterunt in spica effigiem, qualis refertur excusa cum vultu Cherubico sub mento, cruce in fronte, & corona velut aurea in capite, graphice expressam. Hanc viderunt plurimi Catholici viri, mulie-

res nobiles sacerdotes atque etiam aliqui potestates & omnes qui prædictum martyrem nouerant, ea expresse representatum affirmarunt. Quæ quidem omnia ex relatione fide dignissimorum constant. Benedictus Deus qui fecit mirabilia magna solus. *Raph. Sadeler. Iun. excu. Icon.*

CAP. XLVII.

De B. Vincentio Diacono.

INsigne martyrium B. Vincentii Diaconi duob. sermonib. perelegãter exposuit S. Augustinus in posteriore autẽ sermone horrenda plane narrat de crudelitate Deciani non solum in sanctum adhuc viuum sed etiam in cadauer mortuum. At multo magis diuinæ prudentiæ commendat bonitatem in martyre tum viuo tum mortuo protegẽdo. Corpus enim iam exanime ne à feris expositum deuoraretur, nec mari iniectum absorberetur inusitatis miraculis mirabiliter cõseruatum est. Coruus à feris defendit mare littori reddidit piorum deuotio excepit & honorificè tradidit sepulturæ. Hæc copiosius apud S. Augustin. descripta lector si libet videre potest loco dicto & sermo. 9. *Paratus sermone 28. de S. Vincentio.* Corpus S. Vincentii à Deciano insutum culeo alligatoque saxo superinnatans ad littus delatum perhibetur. *Ado. Treuir. 11. Cal. Febr. Simon. Maiolus Dier. Canic. colloq. 10 Mare.*

CAP. XLVIII.

D. S. Luciano.

MAximiano in Christianos sæuiente cum Lucianus constantissimus in fide Martyr lapide ad dextram alligato in mare fuisset deiectus quinto decimo post die delphinus ingens ascendens à mari extensusque superficiem valde spumabat & ad terram contendebat, eratque circa ipsum multa spuma & murmur fluctuum qui ab ipso fundebantur. Ferebat autẽ extensum B. Martyrem Lucianum mortuum tanquam in lecto iacentem

tem eratque ſpectaculum admirabile ſuper corpus adeò lubricum & rotundum quiete manens mortuus & nec à ſuo pondere neq; â vi fluctuum deuoratus ab eo quod ipſum portabat vehiculo Cum autem Delphinus fuiſſet prope continentem fluctu ſublimi fuit ſublatus & terræ id apretit ſtatimque expirauit. Hæc tradit *Metaphraſtes 15. Octobr.*

C A P. XLIX.

De Quatuor coronatis.

IN Martyrologio 8. die Nouembr. legimus corpora ſanctorum Quatuor coronatorũ canibus obiecta diu intacta remanſiſſe & mirabiliter conſeruata fuiſſe, demum à Chriſtianis erepta dedecore liberata & honorificæ ſepulturæ tradita. *Ioannes Pitſius de peregrinat. libr. 3. cap. 10.*

C A P. L.

De S. Amphiano.

EVſebius Pamphilius in vita S. Amphiani quæ extat ap. *Metaphr 2. April. ap. Lippomanum Tom. 7,* Cum enim inquit in pelagi profundum ſanctum Dei hominem Amphianum lapidib. ad pedes eius ſuſpenſis proieciſſent, ingens cõfeſtim fragor & commotio atque æſtus tum ipſum mare, tum circumſtans littus perturbauit, motuſque maximus vrbem concuſſit vniuerſam ſimulq; Diuini Martyris corpus exanime pelagus tanquam ipſum ferre nõ poſſet ante ciuitatis portam eiecit Idque ſe vidiſſe teſtatur Euſebius ipſe cum reliquis omnibus qui Ceſareæ degerent.

C A P. LI.

De S. Albano Martyre.

SAnctus Albanus Martyr cuius reliquiæ apud Mogũtiam reſeruantur fuit ex regio genere ab Hungariæ rege loco filii educatus. Hic vltro & ſponte exul factus ob prædicationem Euangelii quod diligenter prædicauit tandem ap. Maxentium in nemore à latronib. paganis comprehenſus cum ſe libere Chriſtianum profiteretur

retur, strangulatus est, & corpus eius in aquam quādam proiectam, ex qua cum multi leprosi biberent, sanati sunt. Vnde ob eiusmodi miracula ex aqua leuatus, apud Moguntiam honorifice sepultus est. *Petrus Merssaeus in annal. episc. Mogunt. p. 173.*

CAP. LII.

De Cymbrorum cadaueribus.

IN victoria illa nobili C Marii contra Cymbros, canes inuenti sunt, qui postquam pro dominis diutius pugnarint, cecidissentque illi in prœlio, ab eorum cadaueribus nunquam abigi potuerint, sed eadem mira sedulitate custodierint, & vt tutius illa à feris alitibusque defenderent, plaustris illic passim relictis intulerint, custodiasque inter se partitas vicissim magna cum diligentia obseruarint.

CAP. LIII.

De Georgio Schorero.

MIrandū hoc refert Goltwurm *in fastis eccles. ad diē D. Georgii Equit fol. 104* Georgius Schorer Salueldēsis Rastadii apud Boios contra Pōtificem cōcionatus, ob id in vincula coniectus, & tandem ad pœnam gladii damnatus est. Cum ad locum supplicii peruenisset, in hæc verba prorupit: *Quam certo morior propter verbum Domini, sic certo signum vobis dabo.* Postquam vero decollatus fuit, in ventrem pronus cadens, aliquandiu immotus iacuit, inde sese in dorsum inuertit, & dextrū pedem sinistro imposuit, quod omnibus astantibus mirationem iniecit, sicque cadauer eius non fuit combustū, sed terræ honorifice mandatum. Contigit anno 1528. *Ludou. Rabus de martyr. in 3. par. Andr Hondorff. in theatro histor. ad 1. præcept p. 61.*

CAP. LIV.

De Alberto Magno.

CAdauera supina in sepulcris fuisse posita, more hodieque vbique gentium frequentato constat. Aliter

ter vero Diogenes Cynicus, qui interrogatus à Xeniade quomodo vellet sepeliri, respõdisse dicitur: εἰς πρόσωπον, In faciem versus Illo aũt causam sciscitãte, subiunxisse: ὅτι μετ᾽ ὀλίγον μέλλει τὰ κάτω ἀναστρέφεσθαι. Quia paulo post inferiora in contrariam partem conuertentur, teste Laertio in eius vita: sic de Alberto Magno Iacobus de Sussato *in Chron. de magistris ordin. Prædicat.* quod cum sepulcrũ eius aperiretur, inuentus fuerit pronus in faciem versus, sicut consueuerat in viuis orare.

CAP. LV.

De Citharœdo occiso.

SYbaritæ, vt apud Pausaniam est, occiso ad Iunonis aram, qui salutis causa eo confugerat citharœdo, paulo post riuulum sanguinis è templo profluentem cõspexerunt. Vnde vehementer consternati, Apollinem Delphicum super hac re cõsuluerunt, qui in hunc modum respondit:

Cede meis mensis: manibus nam sanguis adhærens
Distillansque recens prohibet tibi limina templi,
Non tibi fata canam: magna Iunonis ad aram.
Musarum innocuum struxisti cæde ministrum,
Non immortales hoc Dii patientur inultum,
Si quis enim prudens scelerata mente profectum
Committat facinus, grauis hunc pone pœna sequetur.
Non exorabit, nec si genus ab Ioue summo
Duceret, ipse suo collo collisque nepotum
Hoc luet & generi cumulatim damna sequentur.

Nec vanæ fuerunt hæ minæ, non enim modo post Sybaritæ cum Crotoniensibus bellum gerentes victi, & ad internecionem fere cæsi sunt, sed eorum etiam ciuitas funditus est euersa.

CAP. LVI.

De Beatrice Athestina.

HÆc obiit anno Domini 1226. 6. Idus Maii, & quoties aliquid noui Estensi familiæ imminebat, toties

ties multis dieb. in sacello eius exaudiebatur strepitus pregrandis & corpus eius quod de more supinum in sepulcro iacebat, in alterum reuolutum latus reperiebatur, sicut *Bernhardin. Scardeonius refert lib. 2 dis. 6. de antiquitate vrbis Patauij.* & eius corpus vel cineres Ferrariam translati sunt in quoddam monasterium in quo futuros casus non minus vt antea ostendit *Camerar. in oper succiss. c. 73.*

CAP. LVII.

De Familia Torellorum à spectro de morituris monita.

Recitat Cardanus, Familia est, inquit, nobilis ac inter primos Parmæ Torellorũ nomine. His Castellum est & in eo aula inqua iam cẽtum annis sub Camino videri solet anus, quoties è familia aliquis obiturus est. referebat illustris & honoratissima matrona Paula Barbiana quæ ex ea familia erat, quandam puellam ęgrotasse visam anum existimasse omnes illam morituram, contra accidit, seruata est enim, sed alius incolumis è familia repentina morte sublatus.

CAP. LVIII.

De Nato 5. Die Lunæ.

VT *refert Ancermus Iulianus de somniis & de physionomia somniorum p mihi 154.* infans qui nascitur ad quintum diem Lunæ quo natus fuit Lamech, actutum & repente morietur.

CAP. LIX.

De Carolo Byronio.

CArolus de Gontault eques vtriusque regii ordinis dux Byronius Par & Marescallus Franciæ Gubernator Burgundiæ, coniurationis in necem regiam princeps detecta conspiratione iussu Henrici 4. regi Galliarũ capitur totiusq; curię arbitrio traditur, à qua capitis damnatur & mulctatur Parrhisiis in arce Bastillana pr. Calend Iul. anno 1602. cum sanguine euolabat crassus

cæru-

cæruleus vapor instar fumi quod irati indignatiq; animi indicium fuisse arbitror.

CAP. LX.

De signo Salomonis.

VT *refert Michael Scotus in sua physionomia c 19* natus infans si visitetur à persona signum Salomonis habente ante nonum diem puer moritur penitus in breui. Si etiam prægnans supertranseat signum Salomonis abortitur cito.

CAP. LXI.

De quibusdam velut hæreditariis mortium generibus.

SIc *Leonicus de varia hist. lib. 1. cap. 54.* Nulli mirum merito videri debet sicut aliarum plerumque rerum nonnulla mortis etiam nunc genera quædam veluti hæreditaria & gentilia plerisq; nonnunquam obtigisse: siquidem ex Ida & Marpessa Apheræi filia genita Cleopatra Meleagri vxor Polydoram siue vt quidam malũt Laodamiam peperit, quæ Protesilao nupsit illi qui primus ex Græcorum exercitu apud Ilium cecidisse dicitur. Eæquanq; tres continentur fœminæ præmortuis viris suis sibi ipsis manus attulisse dicuntur cuius rei testimonium etiam esse potest Deciorum patris & filii ap. Romanos diuulgatæ mortes: qui se pro patriæ salute deuouentes illam quidem ab imminenti vterque periculo liberauit, seipsos vero hostibus trucidandos similiter ambo tradiderunt.

CAP. LXII.

De Eteoce & Polinice.

DE his duobus fratribus Oedipi regis Thebanorum filiis refertur quod inter eos non solum in vita nulla reconciliatio locum habuit, verum etiam cum corpora eorum simul cremarẽtur & cõbustioni nuncuparentur, et flammæ mirabiliter à se invicẽ separatæ ne morte quidẽ cõciliatos eos testari viderẽtur. vnde Stati*

Ecce

Ecce iterum fratres, primos vt colligit artus
Ignis edax, tremuere rogi & nouus aduena busto
Pellitur, exundant diuerso vertice flammæ.

& Lucanus:

Scinditur in partes geminoq; cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos.

CAP. LXIII.

De Friderico Rege Danorum.

DE eo refert Iustinus Goblerus *in Lubecensium rebus gestis*, quod post obitum balsamo conditus, & sarcophago picato inclusus, ita sanguinem emittere cœperit, quod multis vasculis excipere opus fuerit. Id quod naturæ contrarium est, & dubio procul magnam illam effusionē sanguinis, quæ subsequuta est, portendit. *Fincel. lib. 3.*

CAP. LXIV.

De Melusina.

CReditur Melusina Fea, mater domus Lusignanæ, apparere super domo illorum, qui sunt de radice & stirpe eius generis, & contristari multo clamore, prædicere mortem breui alicuius de dicta domo Lusignana. *Natal. Taillepied. de appar. spir. c. 14. Historia vulgaris de Melusina.*

CAP. LXV.

De præsagio mortis per piscem.

VT refert Leonhardus Vairus *lib. 2 de Fascino. c. 14.* In cœnobio sancti Mauritii, quod in confinib. Burgundiæ prope fluuium Rhodanum situm est, viuarium est, in quo iuxta numerum monachorum pisces ponuntur, ex quibus monachis cum aliquis ægrotauerit, pisculus quoque semiuiuus supernatare in viuario cernitur: quod si monachus è vita migraturus sit, paucis ante diebus, piscis moritur: & hoc tam à Cardinale suo, tum ab aliis testibus fide dignis accepit. *Refert etiã Natal. Taillepied. de appar. spir. c. 14.*

CAP.

CAP. LXVI.

De Augustino Barbadico patritio Veneto.

HIc cum dissectus, quod ex incerto morbo interiisset inuentus est lapis in iecore, iuxta fellis vesicam, grandior oliuæ nucleo: & quod magis mirum est, viridis ad nigredinem declinans qui color, durioribus lapidib. solum inesse solet. *Cardan. de rer. var. lib. 8. c. 44.*

CAP. LXVII.

De Mortuo qui cum moniali rem habuit.

REfert *Leonellus Fauentinus c. 75. secund. part. pract. med.* vbi de Satyriasi & priapismo virgæ scribit: Qui coit cum monacha vel moniali, quando talis moritur remanet virga eius tensa: vnde dicitur in carmine apud Volgares:

Qui monachi potitur, virga tendente moritur.

CAP. LXVIII.

Διατὶ μέτα τὸν θάνατον πάντων τῶν μελῶν χαλωμένων οἱ δίδυμοι μόνοι ἄνω σπῶνται?

ΟΤι ἐν τῷ τελευτᾷν σπερμαίνουσιν οἱ ἄνθρωποι ἐκκρίνεται δὲ τὸ σπέρμα σύνηθως τῶν διδυμῶν ἀνατρεχόντων ὅθεν ἄνω κρατηθέντες μένουσιν. Latine sic sonat. Cur post mortem membris omnibus luxatis soli testes contrahantur? Quoniam moribundi homines semen emittūt, excernitur autem semen more consueto, testiculis sursum recurrentibus, qui deinde supra retenti manent, testatur *Cassius Latro Sophista in naturalib. & medicinal. quæst. q. 47. p. 19.*

CAP. LXIX.

De Iuda proditore.

TEstatur scriptura, quod videns Iudas, quod condemnatus esset Iesus, pœnitentia ductus, retulit 36. argenteos ad principes Sacerdotum, & abiit & laqueo se præfocauit. *Matth. 27.* suspensusq; crepuit medius & effusa sunt omnia viscera eius. *Act. 1.*

CAP. LXX.

De Imperatore Maximiliano 2.

IN Imperatoris Maximiliani secundi corde secto inuenti sunt tres lapilli, quantitate pisorum; vnus interim maior altero, colore rubiginco, frequenter vero cordis palpitatione graui afficiebatur, dum viueret. in pulmone calculi plures asperi tribulorum modo, ad siliquarum magnitudinem latuere, aliquando & faba maiuscula, non minores, lati, tuberosi, cinerei, subduri. *Io Wierus de præst. dæmon. lib. 4. c 16.*

CAP. LXXI.

De cadauere puellæ hydropicæ.

REfert *Wierus* prædict. loco de filio suo Galeno medico quod obseruauit Monspessuli, anno 1572. in cadauere puellæ cuiusdam hydropicæ, quam secuit duos spithamæ longitudinis vermes, quorum vnus meatum vesiculæ bilis duodeno insertum occupabat alter in ipsummet hepar (ex defectu alimenti) progressus, gibbum iecoris obsidebat, capite ambientem viscus illud membranam attingente. Idemmet vidit Patauii nobilem Germanum, qui ab exercitio plures tussiendo reiiciebat calculos instar pisi, molles adhuc & friabiles.

CAP. LXXII.

De Pontio Pilato.

QVom in reditu ex Latio Alpes Lepontinos transirem, hæcce mirabilia percepi, & vidi: Est mons Fractus nomine, ad lacum Lucernensem. Huc quum Pilatus Romæ sese ipsum interfecisset, Romani eius cadauer in Tyberim proiecere, ex qua subita suborta tempestas, ac si Tybris omnia inundare, & perdere vellet, eius cadauer à sacerdotib. in altissimos Heluetiorum montes in stagnum præd. montis bannitum, & exorcisatum est, vbi in lacu profundo, semper aqua exuberante dicitur esse, & summa prohibetur pœna, ne quis quidpiam iniciat, ob metum & periculum tempestatis suboriturae, de quo *Munsterus in Cosmograph. Rauius in Cosmograph. de Heluetiis p. 220. Ego in libell. de montib litt. F. de Pilato Gregorius Turonensis.*

Tam tibi sit mitis Ponti Pilate Megæra.
Tamque tua moueant lacrimæ Plutona ferocem
Quam merito periit fato, te iudice, Christus.

CAP. LXXIII.

De Nerone Impe.

ROmæ dum agerem, aliquot mensium hospes, sub Clemente VIII. de Nerone mortuo in manuscripto quodam legi & exscripsi, Nucem in sepulcro ipsius esse natam, in qua maligni spiritus habitantes, prætereuntes miro modo proiectione stercoris lapidum &c. conuiciis contumeliisque vexarunt, & affecerunt: quo comperto, Pontifex nucem funditus eradicari curauit, inuenta sunt sub ea ossa Neronis, quæ comburi iussit, & in eo loco ædificauit templum Mariæ de populo propter multitudinem, & accursum populi sic dictum, in via Flaminia ad pontem Miluium,

CAP. LXXIV.

De Aristomene Messenio & Leonide Spartano.

Aristomenes Messenius, & Leonides Spartanus dicuntur crinosa habuisse corda, *Plin lib 11. nat. hist. cap 37.* dicit tales fortes & celebres heroas futuros. Nam dictus Aristomenes 300. Lacedemonios cecidit, & multoties è manibus hostium suorum euasit. *Valer. Max. lib. 1. cap. 8. Petrus Crinitus de honesta discipl. lib. 13. cap. 7.*

CAP. LXXV.

De Trasilla Virgine.

Mirand. exemplum in Gregorii Pontif. dialogo de Trasilla virgine amita sua memoriæ proditu est. Illam enim testatur, cum vita defunctam lauare vellent, genibus cubitisque concretam, callorum duritiem apparuisse, palamque exanimis iam corporis indicio, magnam illi adhuc viuenti precum curam studiumq; fuisse *Rolbag. in certam. masculo fœm. cap. 8 11. 22.*

CAP. LXXVI.

De corde Hermogenis hispido.

Hermogenis summi Rhetoris, & qui præcocissimi ingenii fuit, mortui, disiecto corpore, hirsutum cor inuentum est. Tametsi tradatur apud eruditos, eos, qui hebeti essent sensu corde duro & spisso, qui vero ingenio valerent, molli fuisse. *Alex. ab Alexand lib. 5. gen. dier. c. 25.*

CAP. LXXVIII.

De Alberto Achille Teutonico.

Vt refert diligens *historicus R. Reineccius. in suis Brandenb. Chronicis.* Albertus Marchio Brandenb. qui anno 1414. 24. Nouemb. natus est, & Germanicus Achilles dictus, incaluaria, nullas iuncturas siue suros habuit, quæ adhucce Heilbronnæ dicitur esse.

CAP.

CAP. LXXIX.

De Vallo ex humanis corporibus.

CÆſar ad Mundam cum materia deficeret, cæſorum hoſtium factis aggeribus & humanorum corporum ſtrue, caſtra vallauit.

CAP. LXXX.

De duobus concumbendo mortuis.

REfert *Thomas Cantipratan lib. 2. mirac. c. 30. § 20.* mirabile exemplum de duobus in coitu mortuis, quo beneuolum lectorem ſelego. Quæritur an illud naturaliter, vel miraculoſe factum ſit: & Reſpond. quod miraculoſe, & naturaliter fieri potuit. Miraculoſe, ad exemplum facti deteſtabilis vt vitetur. Naturaliter quia præ nimio ardore libidinis, in ipſo luxu & delectatione coitus, exhauriuntur ſpiritus animales, & cor nimie dilatatum recluſionem non recipit, ſubitis motibus interceptum.

CAP. LXXXI.

De Puella nimio amore ſubito extincta.

QVantum malum ſit cogitationes fouere peruerſas, & per eas allici ad conſenſum ſub exemplo ponitur euidenti. Scribit *Cantipratan lib. 2. mirac. c. 30. § 27.* ſe vidiſſe virum in Brabantiæ partibus, decore virtutis, & forma conſpicuum, quem iuuenem puella laſciuius impetebat. Nefas a. ducens iuuenis virginem deflorare, ſtuprum renuit, & aufugit, & in conſpectu familiæ domus, quaſi tutus à puella reſedit. Quem illa in verecundius inſecuta, ſuper eius genua ſe locauit, & dato graui ſuſpirio animã miſeram euerſis luminibus exhalauit.

CAP. LXXXII.

De mortuo præ amore.

REfert *P. Boayſteu dictus Launaus in theatro mundi lib. 3. p. mihi 103.* ſe vidiſſe anatomen cuiuſdam

mortui ex furore amoris, quem Græci ἐροτικὸν vocant, cuius intestina omnia retracta fuere, miserū cor totum exustum, iecur totum fumosum, pulmo inassatus, ventriculus cerebri corruptus, & creditur quod misera eius anima sit coctaexusta & paruo illo igne, prænimis vehementer & immodico calore, quem ille tunc perpessus & substinuit, quod febris amoris illum tenuit, & intercepit.

CAP. LXXXIII.

De mortuis præ amore.

PHilosophus Empedocles, quid verus amor siet, â Platone interrogatus, respondit esse iuxta mortem & vitam, medium quasi furorem, sicque probare conatus, nam interfui, inquit, anatomicis sectionibus illorum, qui præ amore mortui fuere, quorum intestina tota connexa inuicem adhærebant, cor totum combustum, iecur suffumigatum, pulmo arefactus, cerebrum permotum, vt credam, inquit, miseram animam in istis quasi elixam, & fortean pedetentim combustum esse, propter maximum ardorem & feruorem, quem perpessi fuere ex igne isto amoris: refert *Abrahamus Hosemannus in lib. verus amor coniugalis. cap.2.p mihi 22.b.*

CAP. LXXXIV.

De Iulia Cæs. filia præ terrore mortua.

IVlia, Cæsaris vnica nata, Pompeii Magni dilecta coniux, quom videret mariti vestimenta sanguine tincta terrefacta fuit adeo, vt mortem obierit. *Valerius Lucanus, Aurel.*

CAP. LXXXV.

De mortuo ad aspectum vetulæ.

Martinus

MArtinus Weinrich de ortu monstrorum. cap. 15. fuit, inquit, in nobili familia, qui ne aspectum quidem ferre potuit intuentis ipsum vetulæ, ex eoque casu aliquando è conuiuio mortuus elatus est, cum vi ad intuendam pertractus esset.

CAP. LXXXVI.

De Carolo Marcello.

SCribunt Gaguinus, & Æmylius, inuentum esse Mausolea, seu conditorium vacuum sine cadauere, & pro eo serpentem. Vtrum autem hoc miraculose, ob diuisas decimas Laicis factũ fuerit, nec ne, sicut ibi innuitur, id aliorum iudicio relinquend. *Camer. in oper. sucis. c. 11.*

CAP. LXXXVII.

De Cleomede non apparente in sepulcro.

CLeomedes Astipalensis, vir fortissimus, ceterum ingenio temerario, ingressus puerorum ludum, apprehensam manu columnam quę tectum sustinebat, effregit tectumque lapsum pueros interemit, cum vero ad pœnas quæreretur, in sepulchrum magnum se abiecit, & clausum intus, adiectum desuper operculum adeo tenuisse dicitur, vt ne à multis quidem simul annitentibus vi vlla avelli posset: Cõscissa igitur arca, neque viuum hominem, neque mortuum esse compertum asserunt. *Domit. Brusen. rerum memorabil. lib. 4. c. 9. de miraculis.*

CAP. LXXXVIII.

De Alcmene non apparente in lectica.

ALcmene cadauer dum efferretur, è conspectu euanuisse, lapidemque in lectica iacentem aparuisse proditum est. *Domit. Brusc. lib. 4. rer. memor. cap. 9. de mirac.*

CAP. LXXXIX.

De Georgio Castrioto ScanderBeego.

REfert Iouius, cũ Turcæ post eius obitũ potiti essent Epiro, sepulcrumque ipsius ad Lyssæum quæritarent, admirandique adeo pie venerati sunt, vt superstitiosi homines eruta demum sepulcro tanti herois ossa religiose deriperent. quum quisque se bello inuictum, tutumque fore crederet, si frustulum ex ossibus reliquiisq; inuictissimi Imp. in amuleto ceruicibus suspensum iturus in prælium gestaret. *Theodorus Funccius in hist. Scanderbeegi in fin.* ipsius quoq; equus à morte eius furiosus factus est, adeo vt nullum alium admittere voluerit sessorem & statim mortuus concidit.

CAP. XC.

De Cadauere Mahometi 3. Imper. Turc.

REfert historia Francica de Turcicis Impp. Agmet modernum Imp. regnantem patris sui Mahometi 3. defuncti cadauer in exercitu secum transportasse, ex eo victoriam certam sibi pollicens, & persuadens.

CAP. XCI.

De Iohanne Ziscka Bohemo.

CVm Iohannes Ziscka Bohemus, quamquam lumine captus, multas de hostibus victorias peperisset, Hussitanamque hæresim excitasset in aduersam valetudinem incidit. Itaque populi, qui ei parebant, periniquo animo eum casum ferentes, ceu euersam communem salutem deplorabant, ab eoque petebant: Quid illis, si, vt verebantur, mortem obiret, faciendum censet. t?O inuictum animique vigorem, nulla vnquam obliuione prætereund. multis præliis in cæcitate victor euaserat, mortuus quoque ex bellis se victoriam deportaturum rebatur, populis igitur respondit: *Vt sui mortui corpus excoriarent atque tympanum ex pelle facerent:* polli-

pollicitus si ad illius Tympani pulsum pariter eius nomen inuocarent, hostes eis nunquam repugnaturos. Cuius dictum cum populi abominarentur, exercitus pars duces sibi non perpetuos, vt ipsum, sed ad tempus delegit, pars autē cum omnes post Ziſckam velut ignauos spernere, & propterea eorum tæderet orphani ab eo tempore appellati fuerunt. *Bapt. Fulgos. lib. 3. cap. 7. de sui ipsius confidentia.*

CAP. XCII.

De Gregorio sexto Pontif. Max.

GRegorii Pōtif. Max. sextus cum æger in vita discrimine versaretur, sciretque de ipsius acta vita Cardinales male sentire, idque habitis inter se colloquiis eos ostendisse animi sui conscientia fretus accersitos ad se Cardinales, de iis quæ dixerant, vehementer increpuit: Et cum efficacissimis rationibus omnem rerum à se gestarum suspicionem purgasset, vt omnia de se exploratiora essent, hoc addidit. Vt defuncti corpus in feretro ante valuas ædis Sancti Petri statuerent, easque ante diligenter clauderent. Quod si numine corpus, sine humana ope in templū introduceretur, male de ipso cogitata emendarent: Sin autem extra templum corpus remansisset, sacra sepultura indignum censerent. Eo mortuo cum cōditio, quam posuerat seruaretur, omnibus admiratione captis, magno ventorum vi, reseratis templi foribus in templo iacere Gregorii corpus fuit inuentum. Fiducia profecto Gregorii conscientiæ ingens, & quæ, ne temere iudicemus, retrahere nos debeat, ostenditur tanto ab humano iudicium differre diuinum, quanto diuinum occultius atque iustius est. *Bapt. Fulgos. præd. loco lib. 3. c. 7. de sui ipsius confidentia.*

CAP. XCIII.

De Clearcho.

PErsę damnatorum corpora feris & canibus obiiciūt, in quo illud traditur mirum quod cum Clearchi ca-
dauer

dauer ob crimen insimulati canibus expositum foret, magna vis venti exoriens, illud puluere texit tanquam diis significantibus immeritum pœnas dedisse *Alex. ab Alex lib. 6. geni. dier. c 14.*

CAP. XCIV.

De S. Bonifacio.

CVm S. Bonifacius, qui prouinciam nostram Hassiam ad religionem Christianam perduxit à Phrisiis occideretur, anno Christi 755. & à Traiectinis sepulturæ datus esset: Episcopus Lullus corpus eius repetiit, verum denegarunt Traiectini. Quid factum, Campana sua sponte, sine vllo hominis adminiculo, sonare incepit, quo audito, incolæ corpus reddidere: & sic in suo monasterio Fuldæ sepultus est. *Wilibaldus de vita S. Bonifacij lib. 2. c. 22.*

CAP. XCV.

De odore mortui Alexandri M.

QVintus Curtius, & alii scriptores recensent quod Alexander Magnus talis harmoniæ & temperamenti humorum fuerit, vt habitus ipsius redoleuerit naturaliter balsamum. Itidem, quod sudor eius, tam dulcis & suauis fuerit, vt quando pori eius aperti fuerunt, putaretur totus suffitus odoribus (& quod mage admirand. est) corpus eius mortuum reddidit talem odorem, vt putaretur refertum pharmacis aromaticis P. *Bonysteau de excellentia hominis.*

CAP. XCVI.

De morte Starchateri Gigantis.

STarchaterus iam prolixa fatigatus ætate, & labore, & senii vitio ne pristinum gloriæ decus amitteret, egregium fore putauit, si voluntarium sibi consciseret exitium fatumque proprio maturasset arbitrio (olim

namque

namque rei bellicæ deditis morbo peire probro datum est) aurum itaque librarum CXX. quod iam pridem pro Oloni Tyranni interfectione meruerat, collo appensum gerebat, emendi percussoris gratia nihil aptius ratus, quam si aurum quod pro aliena clade tulerat, damno propriç salutis impenderet. Itaque Hatherum splendido loco natum, cuius olim patrem occiderat, obuium nactus hortabatur, ne à parentis sui interfectore pœnas exigere vereretur, illud facientem, auro quod ferebat, potiturum esse promittit. Hæc dicens exertam crumena pecuniam promit. Hatherus autem tam fruendi æris, quam paternç vltionis capescendç cupidine concitatus, obsequuturum se precibus, nec præmium repulsurum spopondit. Cui Starchaterus cupide ense præbito, pronam postmodum ceruicem applicuit ne timide percussoris opus exequeretur, aut ferro muliebriter vteretur hortatus: præfatus quod si peracta cæde ante cadaueris lapsum caput ac truncum medius intersiliret, innocuus redderetur. Igitur Hatherus adacto vegete gladio, senem capite mutilauit, quod corpore auulsum impactumque terræ glebam morsu carpsisse fertur, ferocitatem animi moribundi oris atrocitate declarans, percussor tamen promissis fraudem sub esse veritus, saltu abstinuit, quem si temere egisset forte lapsi cadaueris ictu obrutus occisi senis pœnas proprio funere persoluisset, verum ne tantum athletam busti inopem iacere pateretur, corpus eius in campo, qui vulgo Reling dicitur, sepulturæ mandari curauit. *Olaus Magnus in epito. de pop. Septentrional. lib. 5. de Gigantib. pag. 182.*

CAP. XCVII.

De Moribundis Vaticinantibus:
De Socr. Rhod.
Pherecyd.

SCriptum est apud Platonem, spiritus custodes, qui omnibus hominibus vbi primum editi fuerint in lucem, apponuntur, eosdem voce multis tam sanorum quam ægrorum, tam vigilantium, quam dormientium animis prodesse, & in mortis articulo præsentes adstare animosq; nostros diuinitate sua commouere atque replere. Hinc illud esse Platonici aiunt, quod multi in ipsa mortis agone anima iam migrare incipiente, nescio quid diuinum ostendere ac præ se ferre solent, quod nostram superet castitatem. Id Socrati accidisse, qui ad alteram vitam migraturus iam, mortique vicinus filium singulari tunc modestia, vitæque innocentia iuuenem immutatum, atque ad omnia scelera atque flagitia auersum iri prædixit, quod & euenit. Possidonius narrat, Rhodium quendam morientem sex æquales nominasse, & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps, moriturus esset: atque ita euentum prædictioni respondisse ¶ Pherecydes Syrus animā agens victoriam contra Magnesios prædixit.

CAP. XCVIII.

De moribundis vaticinantibus Hectore, Calano Indo, Theramene.

MOrituros vaticinari Hector ostendit apud Homerum, qui ab Achille vulneratus, breui prædixit futurum, vt à Paride occideretur. ¶ Calanus Indus cum in rogo incederet: O præclarum, inquit, discessum è vita, cum vt Herculi contigit, mortali corpore cremato in lucem animus decesserit, rogante que Alexandro, vt diceret si quid vellet: optime, inquit, propediem te videbo, quod ita factum est, veneno extincta paucis post diebus Alexandro in Babylone ¶ Theramenes venenum bibens, Critiæ, inquit, propino, atque omine falsus non est.

CAP. XCIX.

De Iohanne Huß vaticinante in rogo.

Vt re-

VT refert *Samuel Langgut in vaticiniis de Luthero. vaticin.7.* Quom Iohannes Huſs Bohemus Cõſtantiæ anno 1415. ad 8. Iulii cremaretur, in extructa pyra hæc verba protulit: *Hodie cõburitis anſerem (Huſs enim in lingua Bohemica ſonat anſerem) verum poſt annos cẽtum veniet cygnus qui vobis aliam cantabit cantilenam, illum audietis, verum miſſum illum facietis.* Hęc inquit, prophetia in Luthero verificata fuit, nam Huſs ſignificauit annum & tempus quo Lutherus contra Tezelium inſurrexit. *M. Ægidius Salius Bohemus in oratione quadam de Iohanne Huſſo. Matheſius in ſuis concionibus de Luthero. Rabus de martyribus.*

CAP. C.

Exempla eorum qui tempus obitus præſciuere.

PLures diem obitus ſciuiſſe leguntur, ex reuelatione diuina vt legitur de Simeone illo ſene *Luc. 2. de B. Maria. De S.Petro* hiſtoria nota quam & B. Athanaſius aliique commemorant, interrogante enim Petro iam fugiente, *Domine quo vadis?* Romam inquit. iterum crucifigendus. His verbis monitus Apoſtolus redit patiturque Romę cruci capite deorſum affixus, teſtatur etiamnum hodie in via Appia ſacellum rotũdum pedum 12. duplici oſtio S. Petrus *Quo vadis?* dictum. *Fr. Schottus & Hieronym de admirandis vrbis Romæ p. mihi. ſſ. M. Attilius Serranus de ſeptem vrb. Eccleſ. De Oratorio: Domine quo vadis? Via Appia p. mihi 49 alleg. Hegeſipp. libr. 3. cap. 2. D. Ambroſ. Tom. 2. in oratione contra Auxentium de Baſilicis tradend.* ¶ De Chriſtiano rege Danię refert Selneccerus in ſuo calendario quod aulico ſuo concionatori M. Paulo Nouiomago & D Cornelio medico mortem ſuam prędixerit. *Abrah. Saurius in ſuo Diario ad 1. Ianuar.* ¶ Aliud: Iacobus Scutellarius inſignis aſtronomus Pragę, & Rudolfi 2. Imp. medicus octiduum antepræſciuit mortem & certo affirmauit, ſe 10. die Decembr moriturum. anno 1589 ¶ Aliud, Inſignis ille Aſtronomus Leonhardus Thurneiſſer de

Turne

Turne certo præsciuit diem obitus sui, testamentum condidit, hospiti suo mandauit, ne alibi humaretur, nisi apud Prædicatores, & illud ideo, vt ad latus Alberti Magni poneretur, quod & factum est: obiit Coloniæ Vbiorum ad 9. Iulii anno 1596.

CAP. CI.

De S. Odilo prædicente diem mortis.

VT refert *in historia Francica de la vie mort & passion & miracles des Sainctes N. M. Benoist p. 16. & 19.* S. Odilus abbas de Clynii prædixit suam mortem Syluignaci, quod in die circumcisionis Domini nostri ex hoc mundo discessurus fiet, ita factum est anno 1408. ætat suæ 84.

CAP. CII.

De Seraphino Oductio Strancionio diem mortis præsciente & prædicente.

EXtat Romæ monumentum eius tale: *Seraphino Oductio Strancionico medico celeberrimo, vati ingeniosissimo, ac omnino omnium disciplinarum doctrina prædito: vita autem integritate ac morum probitate omnibus gratissimo, qui vehementi febre correptus, præscita, prædictaque die & hora mortis constantissime obiit IX. Calend Septembr. M.D XXXVIII. Theophilus filius pientiss. patri opt. pos. vixit ann. LIIII. mens. VII. dies XXIII.*

CAP. CIII.

De Fonte post necem Ciceronis in eius villa prorumpente.

HAud longe à Puteolis est Ciceronis fons calidas euomens aquas, quæ ægris oculis plurimum conferunt, & ideo Ciceronis vocatur quia in villa eius, quã Academicam vocauerat, ea in via quæ ab Annio lacu fert

fert Puteolos est. Nec tamen eo viuente fons erat, sed breui interposito, post eius necem tēpore illam Antistio Vetere possidente eius in parte prima prorupit. Quem etiam Laurens Tullius vnus ex libertis olim Tullii carminibus celebrem reddidit, vt appareret clarum hominem, dum viueret, scientia sua mentalibus mortalium oculis præstitisse medelam, & eius post nomen eo defuncto præstare corporis. *Ioan. Boccatius de Fontibus Scipio Morrella dul. Antichita di pozznolo cap. 8. Della villa ali M. T. C.*

CAP. CIV.

De muliere quæ risit in morte.

DE iis qui in morte riserunt, exempla sunt in *Cæs. lib. 7. c. 53. & 54. Thomas Cantipratanus in lib. miracul. 2. c. 50.* §. 8 dicit se vidisse mulierem iuuenculam, pulcram valde nobilem & rebus mundi affluenter pollentem. Hæc à puellaribus annis viro nobili matrimonio copulata, cito postmodum spreuit mundum & in se omnes eius concupiscentias adnullauit. Hæc cum veniret ad mortem, cumque diu sine voce & exteriori sensuum exercitio iacuisset tandem suppliciter oculis eleuatis in cachinnū & risum maximum excitata est, & sic repente emisso spiritu, cum ipsa dispositione ridentis facies iubilo & lætitia plena, populo mirante remansit, addit, ibid. aliud exemplum de Garnero canonico regulari S. Ioannis in Vineis apud Suessionem §. 9. aliud de quodam, qui in morte cecinit §. 10. aliud de infantulo, qui moriendo risit & exultauit. §. 11. quo beneuolum lectorem selego.

CAP. CV.

De risu morientium.

VT refert *Nicol. Leonicus de var. histor. lib. 1. c de Sardinia Insula.* stirpibus herbisq; omnib venenatis, & noxiis caret ea insula vna duntaxat excepta quæ apio

similis

similis circa fontes, rigusque illius tractus nascitur neque tamen illis noxias impartire vires dicitur: hanc si quis gustauerit, perpetuo risu commori illum autumant. Quamobrem & Homerus & post ipsum omnes ferè cachinnos eos, qui nullius boni causa fiunt, subdole *Sardonium risum* appellauerunt resque illa prouerbii postmodum locum occupauit.

CAP. CVI.

De moriente præ timore & gaudio.

VT *refert Natal. Taillepied in antiquitat. Rothomag c.52.* Ioannes Machon, qui fudit campanam illam maximā totius Franciç, quæ pondere tenet triginta sex mille, prę timore, quē nimio habuit, dum decertaret in tanto opere & nimio gaudio quom perfecisset feliciter, solutus, vicesimo sexto die post obiit, nec sonitum eius tonantem veneratus. Sepultus est in pronao Templi B. Virginis volga Nostre Dame & campana insculpta lapidi anno 1501.

CAP. CVII.

De Palæmone mortuo ex risu, Zeuxi, Verrio.

PAlæmon Philosophus, quum asinum ad satietatem ficubus depastum vidisset, in tantum risum solutus memoratur, ob illam rei nouitatem, ac deformitatem beluinam, vt expirauerit. ¶ Zeuxis pictor spectans deformissimam quandam picturam, solutus in risum expirauit. ¶ Verrius alter pictor, quod anum quandam deformissimam pinxisset, eandem mortem in risum solutus subiit, *Rhodigino teste lib.4.c.18.* Nam ob deformitatem rerum spectatarum, aut auditarum, vel etiam intellectu perceptarum, risus permouetur.

CAP. CVIII.

De Polycrata, Philippide, Diagora, anu quadam Romana præ nimio gaudio mortuis & Chilone.

Gellius

GEllius lib. 3. c. cap. 15. Cognito repente insperato gaudio expirasse animam, refert Aristoteles philosophus Polycratam nobilem fœminam è Naxo insula: ¶ Philippides quoque comœdiarum poeta haud ignobilis, ætate iam edita, cum in certamine poetarum præter spem vicisset, & lætissime gauderet, inter illud gaudium repente mortuus est. ¶ De Rhodio etiam Diagora celebrata historia est, Is Diagoras tres filios adolescentes habuit, vnum pugilem alterum pancratiastiten, tertium luctatorem: eosque omnes vidit vincere, coronarique eodem Olympię die, & quum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis suauiarentur, cumque pop. gratulabundus, flores vndique in eum iacerent, ibi in stadio, inspectante populo in oculis, atque in manibus filiorum animam efflauit. ¶ Præterea in nostris annalibus scriptum legimus, qua tempestate apud Cannas exercitus populi Rom. cæsus est, anum matrem, nuncio de morte filii allato, luctu atque mœrore affectam esse. Sed is nuncius non verus fuit. Atque is adolescens non diu post ex ea pugna in vrbem redit, anus repente filio viso, copia atque turba & quasi ruina incidentis inopinati gaudii oppressa exanimataque est. testantur *Liuius Decad. 3. Valer Max. lib 9. cap. 12. Plinius lib 7. cap. 32.* Ratio physica est, quia in gaudio si sit nimium, inopinatum, & repentinum tanta fit cordis relaxatio, vt virtus vitalis vna cum innato calore tota egeratur, ac dissipetur & sic mors consequatur. *Galen lib. 2. de cc. sympt. c. 5. Alexand. Aphrodis. problem. 21. Chilon. etiam præ gaudio occubuit.*

CAP. CIX.

De mortuis præ timore.

RVstica quædam vtero gerens, cum marito ex vrbe regressa domum est, marito subsistente. Hic reuersus deprehendit anguem ab ea deuoratum pro pisce, parcit vtero tum puerperæ sed cum postea narrasset factum, statim expirauit. ¶ Narrant fuisse, cum ab alio

sibi metueret, sine tamē iusta causa, quasi ille vitæ ipsius poneret insidias, cumque ioco illum fodisset rapa, sic fodisse vt animam statim exhalarit. ¶ De scurra simile quiddam est, quod Romæ accidisse scribitur, qui suppositus esset securi, quomodo decollare solet gens Itala, interimque sola ceruix frigida conspergeretur, ex eo exhalarit, etiam cum nulla securis esset adacta, neque adigi debuisset. Tātum potest subita affectuū εἰσβολή.

CAP. CX.

De Iulia Pompeii vxore, & Oenone præ timore extinctis.

IVlia Pompeii vxor cum vestem viri è campo relatam cruore conspersam vidisset territa metu, deque viro solicita exanimis concidit partuque eiecto expirauit. ¶ Oenone, quæ primo Paridi nupta fuerat, dein, ducta Helena, ab illo contempta: viso Paridis cadauere, adeo consternata est, vt paulatim præ merore deficiente animo conciderit, vnoque atque eodem funere cum Alexandro sepulta sit.

CAP. CXI.

De Aeschylo mœrore extincto.

ATthenis, ad Thesei sepulcrum, ludos quinquennales celebratos legimus, ad quos eloquentissimi ex omni Græcia confluxere, inter quos Æschylus à Sophocle victus mœrore occubuit, quamuis eum aliter interiisse tradat *Valer. Max lib. 9 cap. 2.*

CAP. CXII.

De duobus amantibus præ nimio amore morientibus.

QVom Lugduni in Gallijs ad confluentiam Saonæ & Rhodani agerem, inter alia & hoc monumentum antiquum, in altū erectum *Ad duos amantes* quod vocatur annotaui. Fama mihi referebat, fuisse duos ami-

amicos se inuicem ardenter amantes, & longo tempore separatos fuisse, tandem ex inopinato eo loci conuenisse, vbi vterque præ nimio amore & gaudio in amplexu mutuo mortui cæciderunt, monumentum in æuiternam memoriam eo positum.

CAP. CXIII.

De muliere præ pudore extincta.

SEcundus Philosophus, cum ob longam absentiam matri de facie non agnosceretur, maternam pudicitiam experiri voluit, admissus est velut extraneus ad cubile, abstinuit autem ab omni complexu, & fœditate, quin se eius filium prodidit. Eam ob rem, mater pudore consternata, animam mox efflauit, ipse vero perpetuum deinde silentium seruauit, non secus ac mutus *Albert. Mag. anim. lib 8. tract. 5. c. 2.*

CAP. CXIV.

De sepulcro Guanoræ in Scotia.

REfert Hector Boetius Guanoræ cuiusdam beatæ mulieris in Scotia sepulcrum, si qua mulier calcasset, perpetuo sterilem euasisse, ita inquit *Cardanus lib. 8 c. 44. de rer. var* Et sanctæ fœminæ obsunt potius, quam prosunt. Contigisse potest, vt fortuito aliquib. id euenerit, inde aliæ metu oppressis, aut corruptis imaginatione mensibus, tales euaserint. Vel quod aliæ tentare non auserint, aut quod in solo fuerit; quod sterilitatem afferat. Hoc enim haud dubie contingere potest. Ita omnia credamus potius, quam quod qui boni sint, male faciant.

CAP. CXV.

De sepulcro Bacchi extra Romam.

VIa Nomentana ad secund. lapidem visitur Bacchi templum, sphærica forma cum columnis geminatis in gyrumque ita dispositis, vt templi testudinē sustineāt, vbi vermiculato opere varia ornamenta cernūtur. Ibiq; porphyreticum sepulcrū, vitib. ac vuis insculptis

exornatū, quod vulgus *Bacchi sepulcrum appellat*. De huius sepulcri mentione illud non est prætereund. quod Ioan. Baptista Platina, qui vitas summorum pōtificum ad suam vsque ætatem conscripsit, in vita Pauli II. Veneti meminit. ait enim in hanc ferme sententiam, quod cum is pontifex fama, & pulcritudine illius sepulturæ captus, (plurimum enim antiquitatibus, & celebrioribus monumentis delectari solitum fertur) iussisset, illud in vrbem ad se adportari, atque ad id cum itineri iam commissum esset, ac vrbem adveheretur, quod sibi forte ad monumentum parare statuisset, statim nocte intempesta nuntiatur, Pontificem ab humanis decessisse. Quod fuit in causa, vt Canonici, qui regulares dicuntur in sancti Petri ad vincula cœnobio, degentes, quique sanctarum Agnetis & Constantiæ Ecclesiis president, eo vnde sublatum fuerat restituerent *Bartholomæus Martianus in Topogr. vrb. Rom. lib. 7. cap. 30. p mihi* 149.

CAP. CXVI.

De sepulcro Virgilii.

IN sepulcro Virgilii Maronis, quod est in monte Pausilippo, prope Neapolim, Laurus ex petra nata cernitur, cuius inscriptio est:

Qui cineres? tumuli hæc vestigia, conditur olim
Ille hoc qui cecinit pascua, rura, duces.

Scipio Marrella in laudem Virgilii & Laurus addidit,

Vt viret hæc laurus tumulum & super ossa Maronis:
Sic viret illius gloria, fama, decus.

Idem.

Quod sacris vates cineres, tumulumque Maronis.
Sponte sua hæc viridis laurus adul- a tegat.
Indicat & Musis & Diuis semper amicum
Virgilium, speret cui fore nemo parem.

D. Fabius de Iordano.

Busta vbi grandiloqui steterant tumulique Maronis
Vastaque seclorum pondera saxa ruunt

Delphi-

Delphica formosis increuit frondibus arbor
Atque iniussa sacra hæc explicat alta comas
Ne tanti cineres vatis sine honore iacerent,
Officium præstat Laurus amica suum.

D. Paulus Portarellus.

Quod super hunc tumulum creuit Parnassia Laurus
Sponte sua manesque pios atque ossa Maronis
Atque loci genium viridanti protegat vmbra
Diuini vatis signat reuerenter honores
Vt quoniam nemo ante illum, nec post erit vnquam
Qui sic rura opes, tali vel carmine reges
Diceret, illius vigeat per secula nomen:
Laurus vt hæc tumulo. foliis frondentibus extat
Obseruatque memor sacri monumenta poetæ.

Sunt alia quamplurima Epitaphia ab excellentissimis viris in sepulcrum nobilissimi Poetæ facta, quæ recenset Scipio *Marrella in antiqui dipuruolo c. 31. della sepultura di Vergilio.*

Addidi ego cum ea loca pertransirem superioribus annis,

Dum tibi vita fuit viridis ceu laurea fulsisti,
Id nunc post obitum testatur Laurus aperte.

Aliud.

Quæso? quid Laurus? designat rite Maronem.
Vatem qui cecinit pascua rura duces.

CAP. CXVII.

De sepulcro Gerionis.

IN Hispania, iuxta Gerionis sepulcrum duæ sunt arbores, specie ex prinu piceaque commixta: nec esse alibi dicuntur, ex iis sanguis distillat, vt ex populo Iliaca aurum. *Brusso lib. 4 rer memorabil. c. 9. de Mirac.*

CAP. CXVIII.

De Elpenoris tumulo.

IN Circæo insula, paruus visitur locus quem incolæ Elpenoris esse perhibent, qui supini hominis men-

ſuram haudquaquam excedere videtur. Hic ex vniuerſo regionis illius tractu, ſola Myrtho illa quæ coronaria appellatur, eo quod parua ſit, & ad coronamenta ſolum expetatur, conſitus eſt totus, cum ea in Inſula nuſquam alibi talis enaſcatur myrthus, ſed arboroſa illa & magna per omnes paſſim angulos fertilius pullulet. Hoc autem ad Elpenoris defuncti honorem effectum eſſe loci illius accolas conſtanter crediidiſſe, Theophraſtus ſcribit *Refert Nicol. Leonius de var. hiſt. lib. 1. cap. 76.*

CAP. CXIX.

De admirando in Inſula Lipara tumulo.

INter Æolias iuxta Italiam Inſulas, cum aliis pleriſque, tum crebris flammarum incendiis, percelebris eſt Lipara, in hac tumulum quendam fuiſſe, ad quem noctu accolarum relatu non tuto accederetur Ariſtoteles ſcribit. Cymbala enim cum crotalarum boatu ibi exaudiri: Tumultus quin etiam & immanes percipi ſonos, cum inconditis quibuſdam cachinnis conſtanter aſſeuerabant, cæterum mirum etiam quiddam iſtiusmodi addere ſolebant. Eo loci aliquando ebrium veſperi acceſſiſſe, & iuxta tumuli illius ſpecum (vt erat) ſecure obdormiuiſſe, tam arcto, (vt aiebant) ſomno vt cum poſt tertiam ab illa diem, acquiritantibus illum domeſticis, & omnia tractus illius loca anxie perſcrutantibus, vix tandem præ ſpeluncæ foribus membris omnibus reſolutis, iacens inuentus fuiſſet, pro mortuo fuerit ablatus, hunc poſtea cum iuſta illi de more ſoluiſſent omnia, & conclamatum iam eſſet præparatisque exequiis educeretur funus, experrectum ſubito magna cum omnium admiratione, & quæ vidiſſet antea, & quæ poſtea perpeſſus fuiſſet, ſeriatim narraſſe ferunt. *Recenſet Leonic. de var, hiſtor. lib. 1. cap. 89.*

CAP.

CAP. CXX.

De tumulo Torquati Episcopi.

IN ciuitate Accidana Hispaniæ ad tumulum Torquati Episcopi, die eius natalitio, hoc est Idibus Maii, olea florem mittit, fructum facit, ac maturat, inde expressum oleum cuiusque generis ægritudini efficax, salutareque est. *Marullus libr. 6. de reuelat. cœlest beat.*

CAP. CXXI.

De sepulcro Mahometis.

MAhometes Turcicæ sectæ primarius Medinæ Taluabi in Arabia petrea sepultus est. *Cosmogr. libr. 5 cap. 44.* Et sunt eo frequentes peregrinationes. Dicitur & alias Mechæ, ψευδοθήριον vacuum & ementitum sepulcrum habere quod anno Christi 1470 fulmine tactum est, ad quod etiamnum hodie Hagsilar, & peregrinatores Turcici frequentes confluunt. *Michal Bapst in cronicis Turcicis. p B. 5.*

CAP. CXXII.

De sepulcro S. Catharinæ.

REfert *Ioannes de monte Villa in libr. 1. de peregrinatio.* singulis annis omnis generis aues, vt columbas, & coruos, venire ad sepulcrum S. Catharinæ, & quamlibet adferere ramum de viridi & fructifera arbore, cum fructu & foliis & relinquere ibidem ceu sacrificium, ex quibus ramis Monachi oleum sufficiens exprimunt.

CAP. CXXIII.

De sepulcro Aristotelis.

IN Bytrahia natus & sepultus est Aristoteles: in eius sepulcro erectum est altare, in quo singulis annis gentiles festum solemne celebrant, & putant ex eo se sapientiam & bonum consilium nancisci *Ioannes de Mont. Villa in itinerar. lib. 1 p. 23.*

CAP. CXXIV.

De sepulcro S. Ioannis.

AD Ephesum non procul à mari S. Ioannes fuit sepultus, in perpulcro templo in eius sepulcro nil nisi manna reperiebatur, mouebatur, vt puluerem faceret, putatur S Ioannes sibi ipsi sepultum fecisse, se viuum in iecisse, & in eo quiescere, vt viuere semper debuit, ad vltimum vsque diem, *Ioann. de monte Villa in lib. peregrinat. 1. pag. 29.*

CAP. CXXV.

De sepulcro Alexandri Magni.

IN medio Alexandriæ ruderum ædicula instar sacelli constructa adhuc superest, insigni sepulcro magno à Mahometanis honore affecto, memorabilis, quo Alexandri magni corpus summi prophetæ ac regis velut in Alcorano legunt asseruari contendunt, concurrit autem ingens eo peregrinorum vulgus, à longinquis etiam regionibus colendi ac reuerendi sepulcri gratia, cui quoque magnas largiuntur eleemosynas *Ioann Leo Afer. in descript. Afric lib 8. cap. 6.*

CAP. CXXVI.

De cadauere Pallantis.

TEmpore Henrici tertii Imper. Romani anno 1057. Romæ inuentum est cadauer Gigantis, ingentis magnitudinis, magnum habens vulnus in pectore, saxo sepulcri hæc erant verba insculpta:

Filius Euandri Pallas quem lancea Turni
Militis occidit, mole sua iacet hic.

CAP.

CAP. CXXVII.

De ſepulcro S. Vldarici.

IN templo *D.* Vldarici Auguſtæ Vindelicorum, eſt ſepulcrum D. Vldarici, ex quo terra quæ depromitur prædita eſt vi & facultate pellendi glires, vt prædicant atque ideo peregre aduentantibus porticella eius donari ſolet, ita vt longe lateque aſportetur, ad prædictum effectum. De eius certitudine non eſt quod dubito, ſi quidem verè illi acceptum ferunt *Auguſtani*, qui glires penitus ex vrbe ſua exigunt. *Itineri. Ital. incerti authoris c.de Auguſt.p.* 4.

CAP. CXXVIII.

De tumulo B. Nicolai.

IN Myræa vrbe, ex marmore tumuli B.Nicolai ſacrum reſudabat oleum ad diuerſas ægritudines pervtile vti narrat *Ioannes Diaconus* 5.. *Ianuarii ex Methodio in vit. S. Nicolai apud Lippoman. Tom.*2.

CAP. CXXIX.

De buſto S. Cordulæ.

COloniæ Vbiorum in cœmiterio ad templum S. Ioannis Baptiſtæ & S. Cordulæ, buſtum nominatę S.Cordulæ, lapideum conſpicitur, cuius terram in dedicatione annali dicti templi ab incolis effodi, domumq; aſportari & diſpergi vidi ad depellendos mures.

CAP. CXXX.

De ſepulcro Prophetæ Ieremiæ.

S*Anctus Epiphanius Epiſcopus Cypri, in libro de vitis prophetarum & ſanctus Dorotheus Epiſcopus Tyri in ſua ſynopſi de Ieremia ſcribunt* illum ſepultum ibi iacere vbi olim Pharao rex habitauerat, quem honorem dicũt Ægyptios illi detuliſſe, quia plurima ab illo acceperunt beneficia, nam eius interceſſione Crocodili & alii nociui ſerpentes ex illis finibus profligati ſunt & vſque in

hodiernum diem eo pergunt oratum fideles pulverem inde secum afferentes, quia læsos à venenosis bestiis curat. *Ioannes Pitsius de peregrinat. lib. 3. c. 5.*

CAP. CXXXI.

De D. Thoma Apostolo.

IN prouincia Maabar, quæ est India maior, seruatur corpus D. Apostoli qui in illa prouincia pro Christo passus est, quiescit a. corpus eius in ciuitate quadam parua, vbi multi sunt Christiani & Saraceni, debito honore sancti venerantes corpus. Incolæ istius regionis Apostolum prophetam magnum fuisse tenent, vocantque eum Avaryam, hoc est sanctum virum, & Christiani, à longe venientes, & sancti corpus visitantes, asportant se cum de terra illa, in qua vir sanctus occisus dicitur, & de ea in potum missa faciunt infirmos bibere, & credunt illos hinc melius habere, atque à diuersis liberari infirmitatibus. *Paulus Venetus de regione Orientali lib 3 ca. 27.*

CAP. CXXXI.

De sepulcro Clementis I. P. R.

CLementi I. P. R. quom Traiano imperāte anchora collo alligata, demergeretur, , mare ad eius preces recessit, & marmoreum, quo eius ossa conderentur, sepulcrum ab Angelis extructum est, cedebat quotannis mare vt sepulcrum adiri ab omnibus posset, statuta festiuitate, deinde rursus tegebatur. *Metaphrastes Freculphus lib. 2 cap. 10. Anti. lib. 7. cap. 2.*

CAP. CXXXII.

De sepulcro Chorœbi.

APud Megarenses in foro, de sepulcro Chorœbi hoc mirum proditur, quod oleaster longo æuo suspensa

ſuſpenſa diu arma intra corticem admiſerit, mox inciſa ocreas & galeas peperit. *Alexand. ab Alex. lib. 2. genial. dier. cap. 12.*

CAP. CXXXIII.

De igne viſo ſuper antrum Ioannis Anachoretæ.

VTi ſcribit *Sophronius prat. Spirit. cap.* 87. Ioannes Anachoreta cognomento Humilis defunctus in antro ſi uæ iuxta Roſum Ciliciæ ignorantibus omnibus ibi ſeptennio latuit, tandem tribus perpetuis menſibus noctu lux plurima videbatur ſuper illud antrum, quare commoti vicini in ſilua perquirentes antrum reppererunt atque in eo iacentem Anachoretam, cilicio indutum, ac pallio, crucem argenteam manibus amplexantem. Inuenta eſt etiam charta ita ſcripta: *Defunctus ſum ego Ioannes Humilis indictione 15.* computatis ergo annis, inuentus eſt ante ſeptem annos defunctus. Ita vero erat integer ac ſi die eadem obiiſſet. Hæc in Roſo monte Ciliciæ.

CAP. CXXXIV.

De lucerna in ſepulcro inuenta.

VIues *ad capit. 6. Auguſt. de ciuit. Dei, lib. 21.* ita ſcribit: Erutum eſt ſepulcrum memoria patrum, in quo ardebat lucerna cōdita ibi, vt ex inſcriptione apparebat, ſupra milleſimum & quingenteſimum annum, eaque tota extemplo, vt contrectari cepta eſt inter adctas manus fricata in tenuiſſimum abiit puluerem.

CAP. CXXXV.

De curiali quodam è cuius ſepulcro flamma exiit.

GRegorius *Dialog. libr. quarto cap.* 32 hoc miraculum recenſet: Terribile inquit quiddam in Valeriæ prouincia contigiſſe, vir vitæ venerabilis, Maximianus Syracuſanus Epiſcopus qui diu in hac

vrbe

vrbe monasterio meo prȩfuit, narrare consueuit, dicens: Quidam curialis illic sacratissimo paschatis sabbatho iuuenculam cuiusdam filiam in baptismate suscepit, qui post ieiunium domum reuersus, multoque vino inebriatus eandem filiam suam secum manere petiit, eamque nocte illa, quod dictu nefas est, perdidit. Cumque mane facto surrexisset, reus cogitare cœpit vt ad balneum pergeret, ac si aqua balnei lauaret maculam peccati, porrexit igitur lauit, cœpitque trepidare, ecclesiam ingredi. Sed si tanto die non iret ad Ecclesiã erubescebat homines, si vero iret, pertimescebat iram Dei, vicitque humana verecundia perrexit ad Ecclesiam sed tremebundus, ac pauens stare cœpit atque per singula momenta suspectus qua hora immũdo spiritui traderetur, & coram populo vexaretur. Cumque vehementer timeret, & illa Missarum celebritate quasi adversi nihil contigit, qui lȩtus & die altero Ecclesiam iam securus intrauit factumque est, vt per sex continuos dies lætus ac securus procederet, æstimans quod eius scelus dominus aut non vidisset, aut visum misericorditer auertisset: die autem septimo subita morte defunctus est, cumque sepulturæ traditus fuisset, per longum tempus cunctis videntibus de sepulcro illius flamma exiit & iamdiu ossa eius concremauit quo vsque sepulcrum omne consumeret, & terra quæ in tumulum collecta fuerat, de fossa videretur. Quod videlicet omnipotens Deus faciens ostendit, quid eius anima inocculto pertulit, cuius etiã corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Qua in re nobis quoque audientibus exemplum formidinis dare dignatus est, quatenus ex hac consideratione colligamus, quid anima viuens ac sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa concremantur. Hæc ille.

CAP. CXXXVI.

De sepulcro D. Narcisci.

GErundæ in Hispania D. Narcisci reliquiæ seruantur, qui tempore Petrus IX. Aragonum rex, ex Catalonia

talonia comes rerum potiebatur, Galli auspiciis Philippi III. regis (*Marinæus Siculus lib.11.* sub Carolo Siciliæ rege hoc accidisse refert) Gerundam vi occupauit qua victoria elati, humana pariter & diuina spernentes, eo impietatis venerant, vt templum stabuli loco ducerent, Qua de causa Deo vindice magna copia muscarum ex viridi candicantibus alis ex sepulcro D. Narcisci erupit, quæ lætali aculeo Gallos, multo celerius ipsa peste necabat, Quam ob rem amissa magna copiarum parte coacti fuere vrbẽ deserere, rex ipse æger Emporiis diem clausit, alii vero Perpiniani obiisse tradunt, sic recenset *Ludouicus Nonius in Hispani. cap. 89.*

CAP. CXXXVII.

De sarcophago martyris Babilæ.

QVando sarcophagus martyris Babilæ asportatum fuit ad locum Daphnæ oraculum respõdere desiit.

CAP. CXXXVIII.

De sepulcro Antæi.

SCribunt Cosmographi Antæi sepulcrum quod est Tigene Maurasne oppido augustum sanctumque adeo fuisse, vt si aliqua pars eius erueretur, confestim pluuia & nubes sequantur, nec prius desinant, quam demolitum instauretur.

CAP. CXXXIX.

De monumento Strati Poetæ.

REferunt de Strati Poetę monumẽto quod ad Pompeiopolim a Syrię vrbem quæ quõdam *Soloc* vocabatur fuit in edito quodam tumulo, in quod quidem facti lapides è vestigioni in iacientem resiliunt, diuino potius miraculo, quam naturali aliqua ratione *Francisc. Patri. de repub. lib. 5 cap. fin.*

CAP.

CAP. CXL.

De Hylli Herculis filii in Lydia inuentis ossibus, Item de Protophanis Olympionicæ corpore & Aiacis apud Ilium repertis ossib.

LEonicius *lib. 2. de var. histor. cap. 26.* in Lydiæ ciuitate, quam Temeni portas accolæ vocabant, specu quodam vi potestatum aquarumque colluuie disrupto hominis ossa se vidisse Pausanias refert, quæ omnem facile fidem magnitudine superabant sua: Quod cadauer Gerionis nonnulli, sed eruditiores tamen eius loci accolæ Hylli, quem *Terræ* filium fuisse dicunt, & à quo vicinus amnis Hyllus est appelllatus, constanter esse asseuerabant. Herculem, quin etiam ferebant ob gratam cum Lydia Omphalæ consuetudinis memoriam de huius nomine filium Hyllum appellasse. In Magnesia præterea idem scribit autor, cum Protophanis illius, qui Olympiæ eodem die bis victor fuit, Pancratiique geminas accepit coronas, tumulum nocturni quidam fures suffodissent: se postea cum multis ingressum, eiusdem inspexisse cadauer, cuius thorax nullo costarum discrimine, vt cæteri ferè sunt omnes distinctus esset, sed ab ipsa humerorum compage ad minores vsque costas, quas spurias medici vocant perpetuo communitus esse videbatur. Nam de Aiacis apud Ilium inuentis ossibus cuius genu patella puerilis disci magnitudinē facile æquarit à Myso quodā probato & frugi homine se audisse scribit; Qui marinis fluctib. disiecta secundū littus eius tumuli parte in illum visendi causa se penetrasse & omnia diligentissime perspexisse asseuerauit.

CAP. CXLI.

De loco stragis Phocensium.

REfert *Herodotus in Clio, cap. 42.* apud Agilenses non solum illorum oues & pecora verum etiam homines trāseuntes locum stragis Phocensium (lapidib. veri obruti fuere) in morbos incidisse, & furore correptos & morbo sacro punitos.

CAP. CXLII.

De tumulo Memnonis.

PLinius lib. 10. cap. 26. ſcriptum reliquit, omnibus annis advolare Ilium ex Æthiopia aues & cõfligere ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas vocant, hoc idem quinto quoque anno facere eas in Ægypto, circa regiam Memnonis exploratum ſibi *Cremuzius tradit.*

CAP. CXLIII.

De arbore nata ex ore Adami poſtea facta cruce I. C.

TEnent ſapientes Græcorum Adamum, cum ægrotaret, miſiſſe filium ſuum in paradyſum ad Angelum, vt ſibi mitteret oleum de arbore miſericordiæ, vt membra ſua eo vngeret, & ſanaretur, Adami filius veniebat ad Angelum, ſed Angelus eum non intromittebat, ſed dicebat tale oleum haud cõtingere poſſe, dabat autem ipſi tria grana de pomo, & dicebat hæc patri ſuo in ore poneret, quando eum ſepeliret, & quando arbor ex granis nata fructum ferret, patrem morbo liberari, rediens filius patrem inueniebat mortuum, & tria grana in ore ponebat eius, ſecundum iuſſum Angeli ex tribus illis granis naſcebantur tres arbores, è quibus crux Chriſti facta eſt, in qua Adamus & omnes homines liberati ſunt. *Ioann de mõte Villa in Itiner & peregr. in terram ſanctam lib. 1. p. 17 manuſcri. antiquiſſ. cum figuris de Chriſto p. 6. quod penes me habeo.*

CAP. CXLIV.

De ſepulcro Rachelis.

INter Bethlehem & Hieroſolymã conſpicitur ſepulcrũ Rachel, coniugis Iacobi, tectum duodecim ingentibus ſaxis, ad ſignificand. duodecim filios, quos ex illa & altera coniugẽ ſuſtulerat. *Ioannes de Monte Villa in libr. peregrinat. 1.*

CAP

CAP. CXLV.

De Christophoro Bathori Vaiuoda Transyluaniæ.

MIrum, eodẽ die, quo Christophorus Bathori Vaiuoda & dominus Transyluaniæ extinctus est, equus Stephani regis Poloniæ eius fratris exanimis concidit, obidque monumentum ei erectum, Vilnæ in Lituania, cum hac inscriptione:

Regis equus Stephani forma gressusque superbus,
Et cursu velox prope Vilna conatur arcem.
Qui moriens regis fratrem præsagiit esse
Sublatum è viuis, docuit quod fama sequuta.
Huic statua erecta est, monumentum testis equini.

Nathan. Chytraus in delit. itine in Polonicis Vilnæ Lituania p. mihi. 624.

CAP. CXLII.

De Paliuro florescente in Laniena Parisiensi.

REferunt annales Francorum eodem illo die quo commissa est illa inaudita laniena, Parisiis, anno 1572. ad diem D. Bartholomęi, quæ tot heroas tot præclaros doctosque viros sustulit, paliurus, est frutex spinosus, exsiccata & nuda à foliis à longe tempore in cœmiterio magno dicto *Innocentium* cœpit repullulascere & reflorescere ad conspectum ocularem, ita vt rex Carolus ipsemet voluerit videre. testatur P. *Bonfons. in test. antiquitat. Parisiensium lib. 3. c. 10 p. mihi 300 f 6.*

CAP. CXLVII.

De sepulcro patris Imp. Taciti.

F*Lauius Vopiscus*, qui diligenter cõscripsit vitas quorundam Imperatorum, refert quod ante mortem Imp. Taciti, portæ sepulcri patris eius meripsas se aperuerint, & spiritus matris eius apparuit eo die illi & fratri eius Floriano ea forma qua in viuis fuit *Nat. Taillep. de apparit. spirit. c. 9.*

CAP.

CAP. CXLVIII.

De apibus mortem Domini lugentibus.

MIrabile hocce est, quod apes in aluearib. mortuo patre aut matrefamilias, plerumque omnes sequantur, deficiant, & emoriantur (& quis crederet absque superstitione si non id experientia testaretur?) si non comperta morte eorum statim in alium locum transferantur, vt testatur *Andreas Picus in tract. German. de apibus p. 1. c. 3. Camerarius in operis succisi cap. 73. de nonnullis mirandis de quibus vera ratio reddi nequit p. 3. 59. Cantipratanus in libr. mira. 1. c. 25. de mirifica apum Repub.* in textu Regem si mori contigerit tristis populus circa eius funera glomerantur spectantesque exanimem lugent: Et tunc nisi subueniatur eis fame moriuntur.

CAP. CXLIX.

De rosa Hierichontina.

SVnt qui existimant, rosam illam Hierichõtinam aquis impositam in ægroti iam morituri, aut in parturientis cuius fœtus in vtero mortuus erat præsentia non aperiri, sed clausam remanere. Refert hoc *Henricus Castela lib. 3. suæ peregrinat. Hierosolymitana non procul à principio Ioannes Sturmius Mechlinianus de Rosa Hierichontina l. c. 29.*

CAP. CL.

De vulturibus cadauerum amantibus.

VT Auerroes 2. de anima narrat, vultures rapaces aues ita odore præstãt, vt ex remotissimis locis cadauerum species odorabiles percipiant, hinc ad excidiũ illud Troianũ à treẽctis milliarib. aduolasse historici tradunt vt refert *Iulius Obsequens de prodigiis cap. 139.* Lepido Munatio Planco coss. Vulturum & aliarum alitũ quibus strages cadauerum pabulo est, ingens vis exercitũ aduolauit. Hinc & L. Apuleius in Apologia. *Vincit idem sagacitate odorandi canes & vultures, hi quidem non*

K *odora-*

odoratu solum sed & præsagio memorabiles Philas poeta ob eam causam vultures sequi exercitus dicit, quod diuinatione quadam clades & cadauera quæ imminant, præsagiunt. Recenset & *Theodorus Funccius in historia Scanderbey* vultures, aliasque rapaces aues aliquot dies ante cladem *Turcarum* copioso agmine aduolasse. L. Dd. p. 209. Et sunt aliquæ aues adeo diligentes cadauera, quod percepta foetore per eius vestigium deuenientes ad cadauer obliuiscantur loci, vbi fuerant educatæ ideo relicto illo nidificant & pullificant iuxta cadauera, ideo semper iuxta patibula corui reperiuntur. Nam summe coruus cadauer diligit, & poscit eo vesci. Spiritualiter. ¶ Carnales homines in tantum diligunt corporis delectamenta, vt semper eant post vestigium concupiscentiæ foedæ, quo vsque perueniant ad actum peccati, & tunc regionis poenitentiæ obliti, requiem & gloriam suam atque felicitatem totam ponunt in corpore colentes illud vt Deum. *Anton. de Rampigit. in figurar. Bib. ope de carne humana lit K.*

Exemplum de coruis stragis nuntiis videre est apud *Cantipratan. libr 2. miracul. cap 49 §. 4* de ferali quodam torneamonto iuxta Nussæam siue Nouesium instituto 1243.

CAP. CLI.

De Bubone diro mortalibus omine.

PLin. Bubonem recenset inter inauspicatas aues: *Bubo,* inquit, funebris, & maxime abominatus, publicis præcipue auspiciis, deserta incolit nec tantum desolata, sed dira etiam & inaccessa nocte monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu. Itaque in vrbibus, aut omnino luce visus, dirum ostensum est Bubonis vox primum in Capitolio, deinde circa vrbem audita quæ auis præmio posito, ab aucupe capta combustaque cinis eius in *Tyberim* dispersus, Seru. Flac. Q. Calphur-

phurnio Coss. *Iul. Obsequens de prodigiis cap. 85.* inter prodigia quæ mortem Commodi Antonini Imper. præcesserunt etiam hoc refert: Bubonem supra cubiculum eius deprehensum esse, tam Romæ quam Lanuuii, Ael. Samprid. & Ammianus Marcell. inter prodigia, quæ præcesserunt mortem Valentiniani Imper. recensent. Bubonem culminibus regii lauacri considentem occantantemque funebria, nulla iacientium sagittas, & lapides contemptibili dextra (hæc enim sunt eius verba) cadere potuisse. Eodem modo talis dira auis anno 1542. circa brumam diu suo prodigioso vlulatu perterrefecit Herbipolenses in Francia Oriencali, quam paulo post secuta sunt cum peste attrocia bella, aliæque calamitates, sicut in eorum annalibus egimus. Hinc & apud Virgil. libr. 12. Æneid. Bubo mortis omen & præsagium fuit Turno, vt Maro his versibus decantat,

Dicuntur geminæ pestes cognomine diræ.
Hæ Iouis ad solium sæuique in limine regis
Apparent accuuntque metum mortalibus ægris.
Si quando lethum horrificum morbosque Deum rex
Molitur meritos aut bello territat vrbes.
Talis se sata nocte tulit terrasque petiuit
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni.
Alitis in paruæ subito collecta figuram
Quæ quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens serum canit importuna per vmbras.

Tartari vero Asiatici (eo quod ipsorum primum Imp. Schandium Chamum in fuga sub arbusculis delitescentem ad hostibus protexerit, quom enim illam auem conspicerent, non putabant ibi in latebris aliquem esse, magno in honore habent, ita vt felices putent, qui pennas de ea aue super galeis vel pileis gestent. *Haion Armenius de Tartar. cap. 13.*

CAP. CLII.

De pauone præsagio morboniæ.

OBseruatum est, pauones assiduo suo ad tecta & circiter volatu & ad rauim vsque clamore præsagium morboniæ notare. Grassante a. peste penitus reticescere *Rollenhag. in q. cap. 18.*

CAP. CLIII.

De Harpyia aue & eius mysterio.

DE hac & in lib. de nat. rer. figuratæ valde scribitur Harpyiæ auis quædam est in deserto Indiæ, in loco, qui Archades dicitur, iuxta mare Ionicum rapinis fere semper insatiabilis Faciem hominis habet, sed in se nihil virtutis humanæ, nam ferocitate deprædatur, insanit & grassatur, vltra humanum modum. Hæc auis primum hominem, quem viderit in deserto, fertur occidere, inde cum fortuito aquas inuenerit, & faciem suam in aquis fuerit contemplata, mox sui similem hominem se occidisse perspiciens, tristatur non modice, & hoc aliquando vsque ad mortem, vel saltem plangit mortuum omni tempore vitæ suæ. Quid, auis ista crudelis, nisi genus humanum significat? quod belluina quidem semper ab ipso mundi exordio inuicem sibi ferocitate insaniuit, & grassatum est. Atque ad hoc tandem flagitium immane peruenit, vt omnium creatorem Deum ad sui redemptionem in desertum seculi huius suscepta forma hominis vendentem despiceret, & occideret Saluatorem. Quis ergo homo tam crudeliter inhumanus, Dei filium hominem inter homines & propter homines factum, à se, & sui causa peremptum, in scripturis sanctis velut in lucidissimo speculo prospiciens, non hærescat & totis visceribus compassus, occiso non commoueatur mortuo, vel irremedicabilibus lachrimis eum quotidie non lamentetur? Vnde Iob. cap 5. *Visitans*, inquit, *speciem tuam non peccabis: & Paulus ad Ebr. recogitate inquit eum qui talem à persequutoribus sustinuit aduersus semetipsum contradictionem.*

nem si fuerimus socii tribulationis, erimus & consolationis Si compatimur & conregnabimus. Cantipratanus.l.1.mirac.c 25.§ 3.

CAP. CLIV.

De campana miraculorum.

VT refert *Leonardus Vairus de fa st.l 2. cap. 14.* in regnis Hispaniæ in oppido *Vililla* nuncupato Cæsar Augustanæ diœcesis campana quædam est, quam miraculorum appellant: hæc per aliquot menses antequam aliquid aduersi in Christiana republ. contingat, ex seipsa nemine impellente, impulsatur, cuius rei testimonium per publicos tabelliones testib. plurimis adhibitis oculis se vidisse refert nominatus *Leonard Vairus* præter fidem quam de eadem re illius regni Proreges suis literis faciebant *Natal. Taillepied. de apparit. spirit. cap. 14.*

CAP. CLV.

De Pane mortuo.

E*Vsebius lib. 5. cap. 9.* de Insula quadam inter Echinadas. Cum in Italiam, inquit Æmiliani Rhetoris pater nauigaret, inter insulas, quas Echinadas appellant, flatu ventorum deficiente, nocte prope Paxas deuenerat, cumque omnes pene qui simul nauigabant, attentiores vigilarent, repente à Paxis Insula vox magna audita est, quæ *Thamnum Ægyptium* nauis eius gubernatorem vocabat, attentis auribus cum omnes starent, audita est rursum vox hæc exprimens: *Cum iuxta paludem fueris annũcia, Pan Magnum mortuum esse.* His verbis auditis, omnes terrore percussi sunt Cumq; iuxta paludem peruenissent, Thamnus in mari pronus respiciens magna voce dixit, quæ audierat, *Magnus videlicet Pan mortuus est,* verbis his prolatis, illico multorum imo innumerabilium gemitus magnus exaudiri ceptus est, ingenti miraculo, cumque Romam peruenissent Tyberio Cæs rem retulerunt, qui & rei veritatem quæsiuit, & inuentum maxime est admiratus.

CAP. CLVI.

De Canum latratu mortis præsagio.

COmpertum est, & canes nocturno suo latratu mortem præsagire: Exempla videre est apud *Fincelium*, inter alia & hoc anno 1553. aliquot septimanis ante stragem illam Saxonicam ingens turba canum in Mysnia congregata fuit, ingentes strepitus excitauit, latratibus syluas, arua locos &c. impleuit.

CAP. CLVII.

De mari mortuo, seu lacu Asphaltite.

MIra videntur, quæ de lacu Asphaltite in Palæstina, quem vulgo mare mortuum vocant, ex iis causis sic dictum, quod ex quinque insignium vrbium incolarum mortibus emerserit, comparata sunt. Is lacus immenso specie maris sapore corruptior, grauitate odoris accolis pestifer neque vento impellitur, neque pisces, neque suetas aquis volucres patitur, Incertæ vndę superiecta vt solido feruntur periti imperitique nandi perinde attolluntur, &c. *Iustinus libr.* 6. *de eo* scribit ita: in ea regione lacus est, qui propter magnitudinem, & aquæ immobilitatem *Mortuum mare* dicitur. Nam neque ventis mouetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur neque nauigationis patiens est, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur nec materiam vllam sustinet nisi quæ alumine illinatur *Camer. in operis succiss. cap.* 62 De eo Cypriani carmina sunt

Sic igitur cœlo pariter terraque sepultis:
Nec mare viuit ibi, mors est maris illa quieti
Quod nullos animat per anhela volumina fluctus
Quodque etiam patrio nunquam suspirat ab Austro

Quod-

Quodque nequit perferre aliquam de gurgite gentem
Squamigeram leuiue cuti vel cortice septam
Vel crispam concham aut duplici compagine clausam.
Solum illic propria mentitur fruge bitumen.

CAP. CLVII.

Quid significent somnia de mortuis.

VT refert *Michael Schotus in sua physionomia cap. 49.* cum melancholia regnat homo somniat se videre colorem nigrum, & fuscum, vt fumum tenebras, sepulturam, infirmum, hospitale, mortuorum cadauera, timorem, tristitiam, impotentiam, esse in carcere ligatum, diabolo se tradi, vestem esse stercoratam, & similia.

CAP. CLIX.

Somnia de sepultura.

VT refert *Artemidorus in lib de somniis 2. cap. 50.* Si quis somniat sepulturam aut ædificationem sepulturæ, subdito & seruo homini bona denotat. Nam significat exaltationem status, diuites enim solum monumenta in memoriam erigi curare solent. Hoc somnium & denotat ei qui liberos nullos habet heredem, soluto quandoque indicat nuptias, & possessionem bonorum. Hoc somnium plerisque bonum est, & diuiti & pauperi. Si vero quis somniat sepulcra violata & deiecta, denotat contrarium.

CAP. CLX.

Somnia de mortuis reuiuiscentibus.

SI quis somniat mortuos reuiuixisse, significat confusionem damna, & pericula. Nam si hoc fieret quod mortui resurgerent, & reuiuiscerent quilibet cogitare potest, qualis confusio ex eo oriretur. Quilibet enim suum reposcere & repetere tentaret, vnde

mirabiles existerent tumultus. Tales tumultus & confusiones, & somnium hocce notat. Vt somniat *Artemidorus de somniis lib 2.cap.59.*

CAP. CLXI.

Somnia de mortuis iterum morientibus.

SI quis somniat mortuos sepultos iam iterum mori, significat proximi aut alius eius nominis mortem & interitum *Artemidorus lib.2.de somn.cap.60.*

CAP. CLXII.

Mortuos videre cum delirio in infirmis cur mortem significet.

INfirmis lethale est signum, si cum delirio etiam mortuos videant. Nam tam validam esse indicat imaginationem, vt ad oculum eius translatus spiritus eam retineat, quam ab imaginatione conceperit speciem. At id cõtingere non potest nisi vel per somnum silentibus sensibus aut ob morbum nimium illis debilitatis, aut ob robustam cogitationem, vimque imaginanti. Cum igitur nec dormiant, nec intendere ob debilitatem possint imaginari, relinquitur vt quod solum est dicamus iam totam virtutem sensitiuam, ob imbecilitatem, iacere occiosam. Hoc autem Aristoteles alibi mortem præsentem significare docuit, hac sententia dicens: *Cum æger non vidit aut non audit debilique existente virtute iam mors proxima est.*

CAP. CXXIII.

De sternutatione signo mortis.

VT refert *Scotus cap.57.* Si duæ sternutationes fiant omni nocte ab aliquo, & illud continuetur per tres noctes, signo est, quod aliquis, vel aliqua de domo morietur, vel aliud damnum domui continget vel maximum lucrum.

CAP.

CAP. CLXIV.

Somnia quandoque mortis præsagia.

SOmnia quandoque mortis præſagia eſſe, teſtantur exēpla plurima: illud piſtoris regis Pharaonis *Gen. cap 40*. Somnium Lucii Syllæ Romani, Somnium Calphurniæ coniugis Iulii Cæſaris, Somnium M. T Ciceronis apud Valerium, Somnium Alexādri Magni apud Valer. ſomnium Simonidis apud Valerium, ſomnium Creſſii regis Lydor. ſomnium illud Arcadis in Megara apud eundem, ſomnium Fla. Vale Marciani Imperator. R. ſomnium Elizabethæ de Arca matris puellæ d Orleans, ſomnium Polycarpi, ſomnium ſcholaris Papienſis: quę omnia docte compilauit *M Ancermus Iulianus in lib. de ſomn & viſionib. nocturnis lit. c. idem ibidem lit. d. ſomnium de igne notat mortem.*

CAP. CLXXV.

De Aenea Indigete.

DE morte Æneæ recitat Seruius, quod ſecundum Catonem ſimul ac in Italiam venit, Lauiniam Turno deſponſatam duxit, vnde moto bello, in primo prælio interiit Latinus, in ſecundo pariter Turnus & Æneas. Alias autem victor Æneas cum ſacrificaret, ſuper Numitium in ipſum incidit, & cum non appareret dicebant Deum Indigetem factum, vnde Tibullus ad eum

Illic ſanctus eris, cum te veneranda Numici
Vnda Deum cœlo miſerit Indigetem.

CAP. CXXVI.

De Iulio Cæſare.

SVetonius in vita Iul. Cæſaris ſic ſcribit: ſi quidem ludis, quos primo conſecratos, ei hæres Auguſtus edebat, ſtella Crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa vndecimam horam, creditumque eſt,

animam esse Cæsaris in cœlum recepti & hac de causa simulacro eius additur stella. *Ouid. libr. 15. Metamorphos.*

CAP. CLXVII.

De præsagio mortis C. Octauii Augusti.

TOnutrabat vehementer, & fulmen tangebat columnam cui superimposita statua Augusti & literam primam C. tollebat, augures augurabantur proximum Indigetem fieri Imp. quia prima litera C. centum notat reliquũ verbum Esar Hetrusca lingua Deum sonat: mors Augusti insequebatur.

CAP. CLXVIII.

De Tauro ante mortem Cæsaris non habente cor.

CIcero de diuinat. Tu quid habes, quare putemus cor in tauro opimo subito in ipsa immolatione interiisse an quod aspexit vestitu purpureo excordem Cæs. ipse corde priuatus est.

CAP. CLXIX.

De præsagio mortis Cyri & Pisistrati.

APud *Xenophontem de instit. lib. 8. legitur.* Cum Cyrus dormiret in regia visus est illi ad ipsum accessisse præstantior quidam & maior, quam natura humana eique dixisse: *Parate ô Cyre iam enim abibis ad Deos.* ¶ Pisistrato Athenensium Tyranno paulo ante mortem, quidam tetra & specie grandiore humana apparuit & docuit neminem & sceleratum & impium euasurum vindictam diuinam.

CAP. CLXXI.

De Galphyra Alexandri Herodis F. vxore.

Galphy-

GAlphyra Alexandri Herodis F. vxor, mortuo marito Iobaræ Lybiorum regi nubit, sed hoc etiam mortuo Archelao nubit, sed illi in somnis Alexander visus est astare dicens: *O Galphyra nempe affirmare videris vetus prouerbium, fidem mulieribus non esse habendam. Tu enim virgo mihi iureiurando sociata susceptis etiam filiis, secundis nuptiis tertiisque sine pudore thorum polluisti, verum age te reddam mihi stabilem meam. Atque intra paucos dies Galphyra occubuit.*

CAP. CLXXI.

De Iuliano Imp. Tyranno.

ANtiochiæ visio facta, cum crudelis Tyrannus Iulianus blasphemus Christi & persecutor Christianorum, iusto Dei iudicio, & pœna in suo proprio sanguine suffocari deberet, visæ sunt à compluribus ciuibus vigilibus, in cœlo aliquot stellæ, quæ vt literæ apparuerunt in eo ordine, vt hæc verba ex iis colligi potuerint: *Hodie Iulianus in Persia occiditur.* Quod sic factum, *Zonaras refert tom 3 in Iuliano.*

CAP. CLXXII.

De Caspare de Colygni Amiralio Franciæ.

COmeta illum 1572. in die Bartholomæi in Cassiopeia apparentem, ingenia quædam carminibus ad animam Amiralii Casparis de Colygni cæsi, traxerunt, & vocarunt ipsam stellam Amiraliam vt refert *Thomas Hartmanus in spec. cometar. p. 2. Hinc versus*

Ab Ischariotis aue,
Ab Alphonsi salue.

Ab

Ab Herodiadis redire
Et à Gallorum venire
Libera nos Domine.

CAP. CLXXIII.

De Hermanno 5. Germanorum Rege.

HOc ab rege *Pleyades*, nomen habent, currum Hermanni, tenebant enim antiqui Germani, eo post mortem deuolasse, & apud hoc sydus requiescere, & inde Germanos suos subditos tueri, ac protegere voluisse.

CAP. CLXXIV.

De Zacharia sanguine.

IN Thalmud Iudæorum dicitur Zachariæ in templo occisi sanguis etiam postquam in lapidis duritiem cõcreuerat, Tito Hierosolymam capiente, ebulisse feruore quodam concepto, atq; ita prodidisse sceleratos homicidas, Addita est huius feruoris declaratio similis qualem etiam Deus de sanguine Abelis edidit: *sanguis fratris tui ad me clamat de terra.* Nam dicitur vox audita quæ iusserit milites, litarent sanguini isti sanguine sacerdotum, atque ita compescerēt ebullitionem, quæ non prius cessauit, quam interemptis omnibus. *And. Lib. de cadau. cruento. thes. 246 247.*

CAP. CLXXV.

De S. Polycarpo.

REcitat *Euseb 4. lib. cap. 15. hist.* historiam interfecti Polycarpi cuius in igne confossi sanguis profluit tam copiosus, vt rogum restingueret.

CAP. CLXXVI.

De sanguine Conradini & Alberti.

Nea-

Neapoli in templo D. Ioannis maioris in medio sacello, locus qui cruorem hausit Conradini & Alberti ad hodiernum vsque diem madet.

DE MIRACVLIS MORTVORVM PARS QVINTA.

Mirabilia mortuorũ, qui terræ visceribus mandati fuere varia in prioribus audiuimus, mirum non minus admiratione dignum in sublimi putrescentibus contingere, in sequentibus patebit.

CAP. I.

De infantium cadaueribus.

Apud *Nidertum* hæc vnius de Lamiarum initiatione scripta extat confessio. Infantibus nondum baptizatis, insidiamur, vel etiã baptizatis, præsertim si signo crucis non muniuntur, & orationib. hos in cunabulis vel ad latera iacentes parentũ ceremoniis nostris occidimus, quos postquã putãtur oppressi esse, vel aliunde mortui de tumulis clam furto recipimus in Calderio recoquimus, quo vsq; auulsis ossibus tota ferè caro efficiatur sorbilis & potabilis, de solidiore huius materia vnguentum facimus nostris voluntatib. & artibus ac trãsmutationib. accõmodatum, de liquidiore vero humores flascum aut vtrem replemus, de quo is, qui potatus fuerit additis paucis ceremoniis statim cõscius efficitur & magister nostræ sectæ *Elichius in sua Dæmonomag. quæst 7.* Quod vero diabolus exigat a strigis, vt strigent, omni tanto tempore puerum vnum siue puellam idipsumque pro voto illius perficiant, etsi flebile sit, non tamen incredibile: tum ex parte dæmonis, qui maximo odio persequitur nomen Christi. Quod præcipue relucet in effectu in pueris baptizatis. Vnde persequitur eos, ac si Christum persequeretur, prohibet etiam quantum

tum

tum sibi possibile est baptismum, & hoc propter inuidiam, qua saluti humanæ insidiatur. Tum ex parte Strygum, quæ carnibus eorundem à se primo occisorum infantum, & postmodum exhumatorum delicatissimis vesci consueuerunt, & ex eisdem pro parte ad consumtionem vsque decoctis in aqua, conuersisque in liquorem vnguentum illud nefandissimum, de quo supra conficiunt, admixtis sacramentorum materiis, in fidei opprobrium, quo valde dæmones delectantur. Tum ex parte diuinæ iustitiæ qua dignum est parentum scelera puniri, vsque in tertiam & quartam generationem, nonnulli enim non legitime filios generando, nonuulli genitis maledicendo, malaque diuersimodo imprecando, Deum offendentes ad iram prouocant, quæ ferueat in filios ministerio dæmonum & strygum. *Barthol. Spineus de strygib. c 33. Dauid Mederus in 4 concione de Lamiis p. mihi. 55.*

CAP. II.

De Cadaueribus suspendiosorum.

SOlent veneficæ multa ex carnibus, ossibusque suspendiosorum ad rem ipsam magicam pertinentia conficere, iisque in magnis veneficiis vti, prout testatur Lucanus.

Laqueum nodosque nocentes
Ore suo rupit pendentia corpora carpsit,
Abrasitque crines percussaque viscera membris
Vulsit & incoctas admisso sole medullas.

Et Apuleius Madaurensis, & ipse magiæ deditissimus cum de ferali officina Pamphyles Thessalicæ mulieris in ea arte instructissimæ loqueretur, lib. 3. Metamorph. *Hic ait mores & digiti illis carnosi claui pendentium.* Cæterum *Plinius lib. 28. cap. 1.* scribit Antheum ex caluaria suspendio interemti catapotia fecisse, contra rabidi canis morsum, & *cap 4. eiusd lib.* tradit laqueum suspendiosi circumdatum temporibus dolorem capitis sedare

dare, *Godelman. de veneficiis libr. 1. cap. 7. n. 1.* & optimum ex suspendiosorum cadaueribus fieri Mumia tradit *Paracelsus in Philosoph. tractat 3. de Mumia Bonaysteau de excellentia hominis p. 145. libr. Reg 2. cap. 21.* dicitur quod Respha filia Haia concubina Saul ab initio messis substrauit sibi cilicium super terram, & non permisit aues & bestias lacerare corpora suspensorum donec stillaret aqua de cœlo super interfectos.

CAP. III.

De Mumia.

IN *1. lib. Moysis cap. vltimo* legitur: Et Ioseph mandabat seruis suis medicis, vt vngerent patrem suum, & medici vngebant eum per 40. dies, eo vsque enim durant dies vngendi. Et Ægyptii lugebant eum 70. diebus. Ab his sanctis patribus Ethnici gentiles in Ægypto, Arabia & Græcia, & aliis regionibus vmbram incorruptionis & resurrectionis retinuere, ideoque mortuos suos talibus rebus, quæ à corruptione præseruant, vnxere, idque postea vera Mumia dictum fuit. Est enim Mumia in substantia humidus ille succus, & virtus hominis aloe, myrrha, pissasphalto, vncti & illiti, & interius expleti, imo etiam optimo croco, itemque noblissimo & vero balsamo, siue eius vice, oleo de Cedro peruncta, ita vt non solum peruncta ista caro & ossa sunt vera Mumia, vt vulgo creditum est, sed aromaticus ille balsamicus succus, sanguis & virtus simul vera Mumia sit, & vocetur, & est secundum omnium medicorum consensum, & sententiam Diacatholicon, ad multos & varios morbos. *Ioach. Struppius in con. medicorum de vera Mumia impress. Francoforti ad Mœnum anno* 1574.

CAP.

CAP. IV.

De vsnea concreta in caluaria hominis aeri derelicti.

AD compoſitionem vnguenti armarii quo vulnus nō applicato etiam remedio, citra vllum dolorem curatur, ſi inſtrumentum tantum vel telum, quod ſauciauit, ſeu quo vulnus eſt inflictū, inunctum obligetur, Paracelſus, qui eiusinuẽtor & amplificator perhibetur. Recipit vſneę concretæ in caluaria ſuſpenſi vncias duas de hac autem non eſt conſenſus, alii petitam eam volunt ex capite ſtrangulati, alii parum referre aiunt, ſiue ſit ex ſtrangulati ſiue ex alterius cuiuſdam capite, vſnea petenda ſit. *Rodolphus Goclenius* medicus hanc afferri rationem poſſe exiſtimat, *in oratione de vnguento armar.* Quod in ſtrangulando ſpiritus vitales, ob præſentiam mali præſentis in caput ad cerebrum refugiant, vnde quia regreſſus illis ob violentam illam conſtrictionem ad principium ſuum non patet, remanere & cum ſpiritibus balſamoque capitis & cerebri miſceri, ac cōfundi neceſſe eſt. Et licet omnes functiones animales intereant, manet tamen calor ille in oſſibus in neruis aliiſque in partibus ſimilaribus, qui & in lapide eſt & pipere mortuo ſcil. elementatis his itaque commixtis, in balſamico ſanguine vi caloris circumfuſi, ambientiſque humorem vita imbuentis, cœlique influxu cooperante, vſneam ceu vegetabili quadam vi & virtute in Caluaria tandem progenerari veriſimilimum eſt, maioris potentiæ quam eſt ea quam in alterius cuiuſdam ex morbo defuncti capite. in decollatis ſpiritus non retineri ſed diffugere euaneſcere, ac diſſipari in confeſſo eſt.

CAP. V.

Quare ſuſpenſis creſcant crines.

REſpondet *Ariſtot. problem. de diuerſitate cutis & pilorum:* quia corpora eorum expoſita ſunt ſoli, qui calore ſuo totum humidum reſoluit in fumum ex quo

generan-

generantur & augmentantur, idque deprehensum est etiam vltra annum teste Cardano, *lib.8.c.40* vbi & hoc mirum addit suspensos ad solem conferri: aut forsan id contingit, quoniam propter obliquitatem quocunque facies respicere videtur, aut quoniam solis calor humidum ad se trahat: legitur D. Moyses Principes suspendisse contra solem, *Num. 2*. attigi & hanc quæstionem *in Torque damnatorum c.20.*

CAP. VI.

De crinibus suspendiosi.

ANtonius Mizaldus Monlucianus *in lib. memorab. & c centuria 9. refert*, pro inuisibilitate sume capillorum de crinibus suspendiosi, immerge in vpupæ sanguine, & porta eum tecum super capite. Et vt refert Palladius *de agricult. lib.1* columbæ nō pereunt, nec locum deserunt, si per omnes fenestras aliquid de strangulati hominis ligno aut vinculo suspendatur.

CAP. VII.

De suspenso Chymista.

HOcce vidi in Ducatu Charitinorum prope Studegardiam (est ea metropolis sedes Ducis Wirtenbergici) mirabile: Chymistæ furcis suspenso duo cornua ex oculis longitudinis instar digiti nascebantur, anno sextæ centenariæ periodi primo post mille.

CAP. VIII.

De suspenso quodam.

SVperioribus annis & hocce obseruaui, Myrtilleti in Palatinatu in suspenso quodam vegeto iuuene, qui 14 dies continuos in furca sanguinem sudabat & emittebat.

CAP. IX.

De suspenso quodam.

VT retulit mihi Ioannes Henricus Camerarius de Saletio, Haganoæ, est ea vrbs Imperialis, ante aliquot

quotannos suspensus quidam fuit, qui ad accessum matris post octo dies incepit sanguinem stillare per longum tempus.

CAP. X.

De Podiuino suspenso incorrupto.

BOleslao Bohemiæ Duce, cum aduersus Catholicos persecutio fuisset instituta, nitēte Drahomira ipsius Ducis nutrice, Podiuinus suspēdio est adiudicatus: Mirū id fuit, vixq; fidem res tanta consequitur; Biennium integrum in furca appensus, sub dio perpetuum mansit, nulla tabe violari nedum corrumpi, consicique potuit, donec de persecutore vltio diuina sequeretur. *Ioan. Dubrauius Episcopus Histr. apud Surium tom. 7. in vita sancti Vicеslai Ducis c. 15. mense Septemb.*

CAP. XI.

De Monachis suspensis psallentibus.

REfert Cæsar Baronius Cordinal. *tom. 7. antiquit. ecclesi. c. 165. ex Gregorio.* Vitę namque venerabilis Valentius, qui post in hac Romana vrbe, mihi sicut nosti, meoque monasterio præfuit, prius in Valeria prouincia suum monasterium rexit, in quo dum Longobardi sæuientes venissent, sicut eius narratione didici, duos eius Monachos in ramis vnius arboris suspenderunt, qui suspensi eodem die defuncti sunt, facto autem vespere, vtrorumque eorum spiritus elatis illic apertisque vocib. psallere cœperunt, ita vt ipsi quoque, qui eos occiderant, nimium mirati tenerentur, quas videlicet voces captiui quoque omnes, qui illic aderant, audierunt, atque eorū psalmodiæ postmodum testes astiterunt, sed has voces spirituum omnipotens Deus idcirco pertingere voluit aures corporis, vt viuentes quique in carne discerēt, quia si Deo seruire studeant, post carnis mortem vlterius viuant.

CAP.

CAP. XII.

De Pionio cruci affixo non combusto.

VT testatur Metaphrastes *in eius martyrio sub vndecimo Martii apud Surium tom. 1.* Pionius cum cruci affixus esset, & iam spiritum exhalasset, tyrannus Decius ignem admoueri iusserat, sed & cutis & vestis prorsus intacta fuit, vt oculatus testis tradit apud Metaphrastem.

CAP. XIII.

De Alexandro Thutueno Comite Gouriæ Scoto.

IN conspiratione illa à Comite Gouriæ contra Iacobũ eius nominis sextum Scotorum Regem, Perthi die Martis, qui 5. erat Augusti Anno 1600. intentata, Rex victor euasit, Alexander per gradus cochleę præceps datus, extrema passus est, Comes Gouriæ Alexandri frater etiam occubuit. Verum cum ædes & cadauera proditorum, donec quippiam de iis statueretur, custodiæ commendarentur, scripta & literas diligenter est Rex scrutatus, si quid forte posset reperiri, quod ad coniurationem detegẽdam faceret, sed præter marsupium magicis characteribus & vocabulis incantatoriis plenum, nihil est inuentum. In hoc verisimile est, non parum fiduciæ Comitem collocasse: nam sine eo nunquam tutum se arbitrabatur, ideoque perpetuo secum gestabat. Quin & illud obseruandum est, quamdiu de collo suspensi illi manebant, vulnera quib. periit, ne guttulam vnam sanguinis distillasse, vt primum demti fuere, totum corpus abundanti sanguine manasse. *Narratio de conspiratione à Comite Gauriæ contra Iacobum, Heidelbergæ impressa anno 1601.*

CAP. XIV.

De innocente ad supplicium damnato.

TVbingæ in templo D. Gregorii ab vna parte exteriore conspicitur signum hominis contorti, & rote

supplicio affecti constitutum eo loci in ignominiam Senatus Tubingensis & memoriam facti, quo iurisdictionem omnem suam quondam perdiderint, tollentes è medio innocētem quendam, qui ex semestri itinere vestimentorum socii sui ex permutatione de industria & singulari consilio facta, & sine socio reuersus, apud prædictum Senatum in suspicionem homicidii perpetrati, inde tormentis subiectus, & cruciatu coactus, confessus fuit, comitem suum à se sublatum, & condemnatus à Senatu, rotæque supplicio affectus, expirare totius octidui spatio nequiuit, prius quam viuum socium reducē prætereuntem cōspiceret, quod profecto miraculose innocentiæ signum fuit. *Itiner. Ital. incogn. autor. de Tubinga.*

CAP. XV.

De S. Carpo suspenso ridente.

M*Artyrologium 13. Octob. refert*, Sanctum Carpum martyrem cum suspēsus esset, risisse, interrogatus à iudice, quænam esset ridendi causa, Vidi, inquit, gloriā Domini mei & risi. *Georg. Coluenerius in notis ad Cantipratan. c. 50. §. 11.*

CAP. XVI.

De gladio quo quis decollatus.

SI quis gladium habeat, quo singulis ictibus horum trium animalium quoddam interfecit, hominem videlicet, aprum, & vrsum, eumque super domum proiiciat, in qua fœmina difficulter in puerperio laboraret, statim enititur. *Gesner. in Germanico lib. de animal. fol. 20.* Probabilius id facit hasta velitaris, euulsa à corpore hominis si terram non attigerit, refert Plin. *lib. 28. cap. 4.* Refert Mizaldus *ex Rhase & Alberto Magno*, vngulas equorum ex ferro quo homo occisus factas, celeres ipsos facere, & si ex eo ferro capistra & frena conficiantur, indomiti fiunt cicures. Refert & Georgius Partisch. *13 c. 7. part.* Opthalmudaliæ chalybeum speculum ex eiusmodi gladio confectum, & nouies in aqua intybi extinctū,

si quis

ſi quis in eo ſe conſpiciat, liberari morbo opthalmudu-liæ à ſplendore ſolis. Refert Plin. *lib 34. cap. 15.* Si patiens paululum acie gladii, quo homo cōfoſſus eſt, latus tangatur, dolorem pectoris & punctionem lateris ſtatim ſedari. Quid etiam cum clauis ex ſepulcris mortuorum, quibus ſarcophagi cōnexi, peragatur, ibidem reperitur.

CAP. XVII.

De gladio carnificis.

HIcce & addendum duco, quod carnifices referunt, ſe plerunque ſcire, num aliquis ipſis tradendus ſit, quem ſupplicio afficiant, gladios enim ipſorum moueri. Sunt qui dicunt, ſe præſcire ipſum genus ſupplicii, quo captiui è medio tollendi ſint. *Lauat. de ſpect. part. 1. c 17. Natal Taillapied. de apparit ſpirit c. 14. in appendice ad Mizaldum com fol. 164* legitur, ſi gladius carnificis vino immergatur, & illud febricitanti porrigatur bibendum, liberat à quartana.

CAP. XVIII.

De carnifice Hildesheimenſi.

ADdo & hicce mirabile illud: Eſt vrbs Saxoniæ, Hildesheimium vocatur, in qua carnifex poſt decollatum reum tribus diebus ſaluus & viuus permanere nequit, ideoque originarius lictor in ea non eſt, ſed aliunde ſemper accerſitur, vt percepi ex fide dignis viris, cum Anſeaticas vrbes perluſtrarem.

CAP. XIX.

De domo carnificis Romæ.

ROmæ carnifex extra portam Exquilinam domicilium habuit *Cicero* pro Rabirio perduellionis reo: *Sed moreretur prius acerbiſſima morte millies Gracchus quam in eius concione carnifex conſiſteret: quem non modo foro ſed etiã cælo hoc ac ſpiritu cenſorea leges atq; vrbis domicilio carere voluerũt.* Sed & apud Rhodios lege cautum fuiſſe, ne carnifex vrbem ingrederetur, tradit D.

Chrysost. orat. 31. πᾶς οἷς νόμος ἐστὶ, τὸ δημόσιον μηδέποτε εἰσαγαγεῖν τὴν πόλιν.

CAP. XX.

De iis, qui consortes Imperii depulere & annum non superuixere.

ROmæ pro notabili præsagio habitum fuit, si quis consortem suum imperii depulit, quod annum non superuixerit. Eorum notati sunt *Pub. Titius Prætor, L. Iunius Brutus Consul*, qui Tarquinium Collatinum: T. *Gracchus*, qui Octauium, Cecinna, qui Publ. Tarq. Publius Marcellus, qui Tullium, Brutus & Cassius, qui Cæs. & Anton. expulere *Lycosthenes lib. 3. miracul. p. 226.*

CAP. XXI.

Cur carnifices post primum factum & experimentum suæ artis bibant humanum sanguinem.

VT testantur medici, sanguis humanus calidus ebibitus, liberat à passione amoris, exemplum est in Faustina illa Marci Imp. vxore, quæ cum gladiatoris cuiusdam amore arderet, Chaldæorum consilio occisus est ille, vt eius amore amans fœmina amoris flammas restingueret. Eius Epitaphium videre est apud Chytræum *in delitiis itiner. c. Panormitan.* Id vbi factū esset, statimq; cum marito concubuisset, amorem athletæ deposuit, sed grauida facta Antoninum Commodum peperit, crudelem hominem, ferum, gladiatorem potius quam Principem, *Petrus Crinitus lib. 2. c. 1.* reddit ergo sanguis hominem ferocem in hominem, vt postea audacior fiat ad decollationis actum, & omnem misericordiam exuat. Sic *Dion* Græcus refert *libr. 2. de Cæs.* vbi facit mentionem Caligulæ 4. Imp. Rom. quod eius crudelitates & dedecora non fuere imputata patri aut matri eius, verum eius nutrici, quæ ipsum lactauit: illa enim vltra id, quod esset crudelis & barbara, sæpissime

ſime oras mammillarum ſanguine illinebat & fricabat, & infantem exſugere permittebat. Quod ipſemet poſtea bene probauit, nam non contentus erat, infinita multorum hominum cæde, verum ſugebat etiam ſanguinem de gladio ſuo, vel ſica & lambebat lingua ſua, & ſæpius exoptabat, vt totus mundus vnam teſtam haberet, vt ſic vno omnes ictu decapitare quiret, & ſolus regnaret in terris. *Crudelitas incredibilis.*

CAP. XXII.

De acu mortuorum.

QVid magi & incantatores cum acu, quo cadauer in funebri veſte fuit cōſutum, ad veneficia agant, nouis nuptis virilem potentiam auferendo, haud ſcribendum, ne ad talia occaſio detur.

CAP. XXIII.

De ſanguine humano.

AIunt experientia compertum eſſe, ſpiritum deſtillatum ex vino & ſanguine miſtis incenſum, non abſiſtere ardere, donec viuat homo, cuius fuit ſanguis, extingui vero cum morte eius. Deſcribitur etiam à Paracelſo remedium contra Podagram, in quo ſanguis humanus eſt ter deſtillatus, ſumptus à patiente, ita vt neſciat, cui vſui ſit futurus.

CAP. XXIV.

Cur Iudæi Chriſtianum ſanguinem effundant quotannis.

CErtiſſime compertum eſt, quod omni anno in qualibet prouincia ſortes mittuntur, quæ ciuitas vel oppidum Chriſtianum ſanguinem aliis ciuitatibus tradat. Conſtat quidem ex ſancto Euangelio, quod Pilato lauãte manus & dicēte: *Mundus ego ſum à ſanguine iuſti huius* Iudæi impiiſſimi clamauerunt, ſanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Super quo D. Auguſt. in

ſermone quodam, qui incipit, In cruce, innuere videtur, quod ex maledictione parentum currat adhuc in filios vena facinoris per maculam ſanguinis, vt per hanc importune fluidam proles impia, inexplicabiliter crucietur, quo vſq; ſe reã ſanguinis Chriſti recognoſcat pœnitens, & ſanetur. Præterea refert Cantiprat. *lib. 7. mirac. c. 29. §. 23.* audiuiſſe quendam literatiſſimum Iudæorũ ſuo tempore conuerſum ad fidem dixiſſe, quendã quaſi prophetam eorum in extremo vitæ prophetaſſe Iudæis, dicentem: certiſſime vos, inquit, ſcitote, nullo modo ſanari vos poſſe ab illo, quo punimini verecundiſſimo cruciatu, niſi ſolo ſanguine Chriſtiano. Quod verbum cæci ſemper Iudæi & impii rapientes induxerunt omni anno in omni prouincia fundendum ſanguinem Chriſtianum, vt tali ſanguine conualeſcant. Et addidit: Male, inquit, intellexerunt verbum, *ſanguinem*, intelligentes Chriſtiani cuiuslibet, ſed prorſus illum ſanguinem, qui in ſalutem peccãtium quotidie funditur in altari, quem quicunque noſtrum conuerſus ad fidem Chriſti ſumpſerit vt decuerit, mox ſanatur ab illa maledictione paterna.

CAP. XXV.

De manu ſiniſtra immatura morte raptorum.

PLin. *lib. 28 c. 4.* refert immatura morte raptorũ manu ſtrumas, parotidas, gutturа, tactu ſanari. Recenſet Michael Bapſt *in lib. morb. med. p. 326.*

CAP. XXVI.

De dente mortui.

REfert Alexius Pedemontanus *in ſuis memorabil. fol. 436.* ſuffumigium ex dẽte mortui factum depellere maleficium & ligamen impotentiæ ſponſorum. Ioannes 21. Papa, illuſtris Philoſophus & Medicus, alias Petrus Hiſpanus nominatus, dicit in ſuo theſauro pauperum *c. vlt.* ſuffumigium hocce pulueriſati dentis contra omnia veneficia & maleficia eſſe.

CAP. XXVII.

De ossibus mortuorum in templo Hierosolymitano.

AD 24. diem Martii Anno Christi 12. templū Hierosolymitanum totum ossibus mortuorum plenum fuit, & nemo sciuit vnde illa essent. Per quæ significatum est, omnia mortuorum sacrificia cessatura, & dispergenda esse cum Christus ipsemet venerit. *Selnec autor.*

CAP. XXVIII.

De terra mortui hominis.

AD damnum alicui inferendum in Martis dominio à Magis duæ imagines parantur, vna cerea, altera ex hominis mortui terra, Et ferrum quo homo necatus fuit, traditur alteri imagini, vt alterius necandi simulacri caput transfigat, in vtraque duo inscribuntur nomina & characteres, seorsum peculiares, & certo altera reconditur loco, vt tradit Wierus *de præstig. dæmon. lib. 5. cap. 11.*

CAP. XXIX.

De diuinatione ex mactatorum hominum visceribus.

NEfandum superstitiosæ diuinationis genus est, ἀνθρωπομαντείαν appellant, quæ hominum mactatorum viscera ac febras rimabatur. Vsus ea Heliogabalus Imp. turpissimum & flagitiosissimum monstrum, qui paulo post huius immanitatis plus quam belluinæ, pœnas merito dedit, quando incrudeliter interfectus, & in latrinam abiectus, inter excrementa computruit. *Wierus de præstig dæmon lib. 1. c. 7.* Vsus etiam Iulianus apostata, qui viuos fœtus grauidarum alueis dissectis extrahere solitus, *vt Cedrenus in annalibus, & Theodoretus lib. 3. c. 21. scribunt.* Vsus etiam, teste Ammiano, Pollentianus quidam: nec non Scythicæ aliquot gentes, à quibus eam Tartari acceperunt. *Cromer. lib. 8 hist. Polon.*

CAP. XXX.

De Tartarorum Principe quem vulgo magnum Canem appellant.

ADdam & hoc: Princeps ille Tartarorum, quem vulgo *magnum Canem* nominant, locupletissimus potentissimusque perhibetur esse: iubetq; superbissima nomenclatura se Regem Regum ac potentissimum omnium Principem appellari. Hic mortuus in montem, cui Alcai nomen inditum, tumulandus effertur. Porro efferentes, quotquot inter eundum obuios habent pro victimis occidunt. Aiunt siquidem par esse eos suum principem comitari cui alio orbe debita seruitutis officia sint præstanda. Mactant etiam equos omnes, camelos, ac mulos, quibus viuens vtebatur, persuasum habentes, ea omnia suo principi post mortem seruitura mortuo. Horum Tartarorum Principi, quem magnum Canem appellari diximus, trecēta hominum millia in itinere, cum in montē, vt diximus, deferretur, ab efferentib. reperta cæsa sunt, autore Marco Polo *lib. 2. c. 24.* asserit hoc etiā Florentinus Pogius qui à secretis fuit Eugenii Papæ Quarti *lib. 2. de fortuna mutatione.* qui non dubia esse, quæ à Polo scripta sunt, apertissime demonstrat. Legitur & Oxoniæ in Anglia, sub tabulis Geographicis, tab. 15 *teste Chytræo in delic itinerum Anglicis. Paulus Venetus lib. 1. c. 54.*

DE

DE MIRACVLIS MORTVORVM PARS SEXTA.

QVam periculosum sit, fluctuosum sulcare mare, sa uo corpora sua committere Neptuno, quorum illud perpetuis suis fluctibus, æstu. gurgitibusque abripit mortales, hic nulli mortaliũ parcit, satis experiuntur nautæ. Hinc & Cato inter reliqua, quorum pœniteret, recensebat, si nauigio migrasset, quo pedes ire potuisset. Hinc tot marinos Deos antiquitas coluit, habuit & ecclesiæ nauicula suos patronos marinos, de quibus latius egi *in comment. ad Rubr. C. de nautis Tyberinis lib. 11. ad Ioannem Bley Mollerum Variscum conscript.* de suffocatis igitur vndis subseqq. agendum.

CAP. I.

De cadaueribus suffocatorum.

CRedebant antiqui, mortem in aquis exitium esse etiam ipsius animæ: vnde & omnes heroes mortem in aquis subire perhorruere. *Synes. in epist. 4. allegãs vers. Homeri.*

Aiax interiit postquam imbibit æquoris vndas.

Hinc cum Pollio seruum, ob fractum chrystallinum vitrum, in piscinam murænis deuorandum coniici mandaret, seruus non deprecabatur pœnam (dominis enim in eos vitæ necisque potestas erat) sed tantum genus supplicii. Verum ad Augusti Cæsar. intercessionem liberatus est, piscinaque terra compleri iussa, quam historiam poeta Faginos Kirchnerus *in suo Caietano attingit vers. Muranisque ob fractum vitrum coniicio in cibum.*

CAP.

CAP. II.

Cur cadauera aquis innatent.

CVrnam cum corpora merguntur, post duos aut tres dies aquæ innatent, nisi splene careant, ii enim in profundo manent? Causa est, inquit Cardanus *lib. 8. c.44. de rer. var.* Flatus qui inter peritonæum & omentum gignitur, quod enim ita sit, ostendit tumor ille immensus ventris præ cæteris. Videtur autem & tota cutis inflari, sed & pectus, at hoc non sufficit, neq; enim mergerentur contento spiritu: causa vero quærenda est, cur adeo venter in tantam molem excrescat, flatum enim constat esse. Flatus autem ex humido generatur, cum à calido dissoluitur, calidum autem ex putredine, putredo vero quoniam pingue multū aqueo immixtum est. Refert idem Cardanus *lib.16. c. 90.* quòd panis frustum in aquam proiectum è directo cadaueris humani conquiescat, si id sub aqua lateat.

CAP. III.

Virorum cadauera supina fluitant, fœminarum prona.

ASserit *Plin. nat. hist. li. 7. c. 17.* virorum cadauera suffocatorum supina fluitare, fœminarū prona, veluti pudori defunctarum parcente natura, quod vt maxime allegat Agrippa in oratione de nobilit. & præcellen. fœminei sexus ad Margaritam Austriam vid. *Michael Scotus in physionomia c.11. de modo nascentis infantis, &c.*

CAP. IV.

De Thebiorum corporibus non submergentibus.

VT refert Leonic *de var hist. lib 3. c.70.* Thebiorum nationem quādam, in secundo symposiorum suorum commentario, Didymus fuisse refert, pestiferam adeo & fascinatricem, vt vel solus eorum exceptus oris halitus illico interimendi vim habuisse dicatur, noxiaq; satis & animalibus omnibus illorum existeret præsen-

tia,

tia, horum corpora in aquis proiecta non mergi & ima petere, vt aliorum vulgo mortalium, sed sursum expelli & fluitasse dicuntur.

CAP. V.

De septem fratribus.

IN Vandalica persecutione, tempore Hunerici Vandalorum Regis, fuere septem fratres Christiani dicti, Bonifacius, Seruus, Rusticus, Liberatus, Rogatus, Septimius, Maximus. Hi ob veræ religionis professionē carcerati Carthagini fuere, crudelibusque plagis affecti, & in iis omnibus veraces & constantes permansere. Et cū ad rogum condemnati essent, nec ignis comburere vellet, à lictoribus virgis ad mortem cæsi sunt, & cum mare cadauera respueret, ab aliis Christianis honorifice sepulturæ dati sunt, teste Victor *lib. 3. in fin. de Vandalica persecutione.*

CAP. VI.

De cadaueribus in aquis bellorum prænunciis.

IN natura innumera abstrusa & nobis incognita esse fatendum est (habet namque ea scientiarum thesauros innumerabiles, qui nullis ætatibus exhauriri possunt) ex quibus non minus, quam ex iis, quæ conspicua & manifesta sunt, conditoris omnium rerum immensa sapientia quandoque elucet, is enim quando vult, potest facere, quod non est, & mutare quidem. Affirmat Trismegistus esse peculiarem locum in quodā promontorio, inter horrendos maritimos scopulos, vbi sæpe priusquam, interdum etiam eodem tempore, quo præliū aliquod, diuersa in parte orbis terrarum committitur, alia ve insignes clades, in quibus multum humani sanguinis effunditur, accipiuntur, vndæ marinæ sanguineę, & in iis veluti ebullientia cadauera humana, pleraque trunca tamen & mutilata, vtpote absq; capite, sine manibus pedibusve conspiciantur.

CAP.

CAP. VII.

De sanguine ex terra mortem præsagiente.

VT refert Sicillus Fecialis Alphonsi Regis Arragoniæ *in libello suo cui tit. Le blason deb couleurs fol. 49.* Est vrbs in Italia nomine *T*eridone, ibi miraculum hoc contingere solet, si aliquis ciuium aut laborator debet mori eo anno, quando laborat suam terram, apparet clare magna effusio sanguinis, & significat sanguis mortem proximam possessoris illius hereditatis.

CAP. VIII.

De Lycæi Iouis phano.

IN Lycæo Arcadiæ monte, *Iouis* cognomento *Lycæi* percelebre (vt aiunt) erat phanum, in quod viros ingredi nefas fuisse dicunt. Quod si quis religione spreta ingredi ausus fuisset, illum postea integrum non superstitisse annum ferunt. *Nicolaus Leonicus de var. histor. lib. 1. c. 44. lib. 2. c. 80.*

CAP. IX.

De Luco Aesculapii.

APud Epidaurenses iuxta magnificentissimum Æsculapii Dei templum exædificatum, quod ab accolis quotidie & externis summa frequentabatur religione sacer erat *Æsculapii Lucus*, limitibus quibusdam à cæteris eius loci agris disterminatus, inter quos neque mori quempiam posse, neque grauidas mulieres parere constantissima fuit fama. Quod etiam de septo quodam in Delo insula memoriæ proditum est. *Nicolaus Leonicus de var. histor. lib. secundo, cap. quadragesimo sexto.*

CAP. X.

De ore Plutonio.

Con-

COntra Laodiceam vrbs fuit Hierapolis, vbi *Plutonium* paruo quodam montis supercilio ita commensuratum, vt hominem suscipere posset, mira profunditate: cui vallum propositum erat quadratum, ambitu semiiugeris, nebulosa, & crassa caligine plenum, vt vix solum discerni posset: exterius tranquillo cœlo, aer innoxius, animal si quod ingrederetur, statim moriebatur, & tauri introducti mox cadebant educebanturque mortui. Strabo se passeres immisisse ait, qui subito expirauerint. Galli execti vsque ad os illæsi appropinquabant, & immergebātur, nec delebantur quousque possent spiritum continere. *Pius II. Pont. M. in descript. Asiæ c. 82.*

CAP. XI.

De Naiadibus & Nymphis.

NAiades & Nymphæ, quas antiqui pro fluuiorum Deabus coluere, apparentes certo semper indicio & præsagio suffocandorum sunt, & habentur, id quod superioribus annis Ienæ Tyngetarum quum degerem, contigit, vbi aliquot vesperis in Sala ludere & quasi tripudiare visæ fuere, eo ipso in loco, quo subsequente die nobilis iuuenis Ioannes Kobolt mihi amicissimus frigida se lauans subreptus & suffocatus est. *vide Coluenet. in tract. ad Cantipratan. libro secundo. cap. 57. §. 9.*

CAP. XII.

De Mauriana prouincia.

ET mortuos prouinciis nomina indidisse, testatur Mauriana, quemadmodum seniores referunt, a moriendo nuncupata, quoniam Romæ rerum capitalium condemnati, eam in regionem exulatum amandarentur, velut si in Getas deportarentur. Mauriana enim altissimis montium iugis, vbi nix perennis circumuallatur, qua neque commeari licet,

nisi

nisi per angustias salebroso itinere, & perdifficili accessu, ad Cinesium montem: vbi vero perpetuus nimium rigor, Borea bachāte in supercilio montis, qui excelsum habet verticem, cuius altissimum in sublime cacumen stadiorum centum ascensum habere Strabo refert, sed errat in modo, superquo lacus est ingens: à quo duo fontes scaturiunt. Alteri nomen *Druentio*, qui per confragosa sese inferiorem in prouinciam loca præcipitat. Alteri *Durior*, qui in Pedemontem excurrit. Monte ipso Italiam (vt ait Cicero *in orat. de prouinciis Consularib.*) natura muniuit, non sine diuino aliquo numine. Eam mons à Mauriannensibus separat, dictus quidem *Cinesius*, alias *mons Cinerum* à mortuorū cineribus, propterea quod plerique Mauritaniam versus iter faciētes sub brumam, per quam nimio niuium rigore perglacientur, sępeque exanimes fiant, palam fit ex ædicula medio in monte posita, vbi extinctorum corpora reponuntur: & caluariæ cunctis fiunt spectaculo. Et quia ipsis relegatis (si illinc migrarent) laquei pœna superaddita erat, cum exire fines impune non liceret, Mauriana dicta est, ex quo inibi mori vrgerentur. Testis Iacobus Delexius *in chorographia Sabaudiæ p. mihi 18.*

CAP. XIII.

De Capitolio Romano.

MOns ille Romæ Capitolinus, qui modo vocatur, ante vrbem conditam ab antiquo oppido *Saturnia*, sub ipso monte existente, *Saturninus mons* appellatus fuit, vt prodidit Varr. Plinius, Saturnia, inquit, vbi nunc Roma est, Antipolis, vbi Ianiculum in parte Romæ, alii vero quod Saturnus ibi habitauerit, ut Virg. his carminibus:

Hæc duo præterea disiectis oppida muris
Reliquias veterumque vides monumenta virorum,
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem,
Ianiculum illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Sex. Pompeius ait Saturniam Italiam & montem, qui nunc est *Capitolinus*, Saturnium nuncupatum, quod in

tutela

tutela Saturni esse existimetur. *Solinus* loquēs de comitibus Herculis hæc habet verba : *Iidem montem Capitolinum Saturnium vocavere.* Castelli quoque quod excitarunt portam appellarunt Saturniam. Huic deinde Capitolii dixere nomen, quod caput humanum aperientibus fundamenta *Templi Iouis* dicitur apparuisse, quæ visa species, haut per ambages arcem eam Imperii caputque rerum fore spem præbuit, idque ita cecinere vates. Antea vero *Tarpeia* eidem monti nominationem fecit. *Bartol. Marlianus in Topogr. Romæ lib. 2. c. 1. Iul. Obsequens de prodigiis c 5.*

CAP. XIV.

De Tyberino flumine.

INter varias Etymologias Tyberis fluminis, *Fulvius* scribit, à Tyberino Albanorum rege sic fuisse nuncupatum, hinc Ouid. in Ibin:

Vtque vel Euenus torrenti flumine mersus,
Nomina des rapidæ vel Tyberinus aquæ.

Idem lib. 14.

---- Regnum Tyberinus ab illis
Cœpit & in Thusci demersus fluminis vndis
Nomina fecit aquæ.

Idem lib. 4. Fastor.

Accipimus regnum post hunc Tyberinus ab illo
Dicitur in Thusca gurgite mersus aqua.

Quod tamen *Marlianus in Topogr. Romæ lib. 7. c. 1.* de Tyberino flumine non procedere contendit, ideo, quia etiam ante Albam Tybris dictus inuenitur. De origine & ortu appellationeque latius egi in *comment. ad L. Romæ D. ad municipal. quo benignum lectorem delego.*

CAP. XV.

De Templo Misericordiæ.

ROmæ prope *Volabrum* est *Templum Misericordiæ*, in quo sepulti sunt, qui publica pœna capitis plectebantur.

CAP. XVI.

De Templo mortis.

VEteres gentiles, vt varios & plurimos Deos coluerunt, ſcriptum in antiquitatibus & traditum eſt, quoſdam vt prodeſſent, quoſdam ne quid obeſſent, neue aliquid afferrent incõmodi, *Romani* perſanctè habuere. Athenienſes *contumeliæ* & *impudicitiæ* aras ſacrarunt, vt à contumeliis & probris auerterent. Lacedæmonii *Morti* & *Timori*, atque aliis affectibus templa dicarunt. *Euſtathius* refert, in Dionyſium Alexandrinum, ex Æliani ſententia, Gadibus altare, *Anno & Menſi* dicatum, vnum videlicet breuiori tempori, alterum longiori, Templumque *ſenectutis* eſſe, quo reuereantur ætatem, quæ multa ſcit & didicit: Et aliud *Mortis* ad honorem communis omnium ocii, vel eorum, qui præter naturæ legem obierunt. *Ludovicus Nouius in Hiſpania c. 9.*

CAP. XVII.

De pomis mortis.

SVnt & poma mortis, in prouincia Peru, occidentalis Indiæ nuper inuenta, ſorba ſunt odorataque, quod mirum eſt, exitialem ſuccum ferunt, quo illitæ ſagittæ, mortem afferunt illico, atque nullam redimitam auxilio. *Hieron Cardan. de ſubtilit. lib 8. de plant.*

CAP. XVIII.

De Vaticano infami propter cadauera.

(TAcitus lib. 2. Poſtremo ne ſalutis quidem cura, infamibus Vaticani locis magnã pars tetendit, vnde crebræ in vulgus mortes &c.)

Vaticanus collis, non procul à Tyberi eſt conterminus Ianiculo, ſupra molem Adriani, in quo D. Petri Baſilica nunc eſt, & pontificum aliorumque nobiliſſimæ ædes; quomodo itaque illius locos infames vocet *Tacitus*. præſertim quum antiquitus in eo & *Circus Caii & Neronis* & *obeliſcus* fuerint tradente *Plinio lib. 16 c. 40. &c.*

&c. lib. 36. c. 11. nec non & celeberrima illa *Ilex*, de qua idem author *lib. 16. c. 44. &c.* Causa. *Ælius Lampridius* ita scribit in Ant. Heliogabalo, fertur Elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulcris, quæ obsistebant. Ex quibus colligere est, postquam Romæ sepeliere mortuos (quos antea vetitum erat) Vaticani locos sepeliendis cadaueribus destinatos, ob idque à Tacito infames vocatos.

CAP. XIX.

De mari Icario.

SAmo adiacet Insula Icaria, à qua Icarium pelagus nominatur. Ea ab Icaro Dædali filio nomen habuit, quem dicunt paternæ fugæ comitem, cum ambo pennati, è Creta aufugissent, in hoc loco cecidisse, via non seruata, quam pater ostenderat. Nam cum celsius se ad solem extolleret, liquefacta cera, pennæ effluxerunt. Fabulosa hæc, documentum tamen habent, mandata parentum ne filii contemnãt *Æne. Syluius de Asia c.77.*

CAP. XX.

De Pisce cui nomen mors.

MOrs piscis est iuxta *Muscouiam* in *Iachis* è Boreali oceano, maxime dentatus, è quibus gladiorum capulos conficere solent. Sunt enim piscium dentes, non huius generis tantum, sed magnorum, candidi vt ebur, sed in opere longe firmiores. *Hieron. Cardanus de subtilit lib. 10 de animal. perfol.*

CAP. XXI.

De Cadaueribus venenatorum.

LIuorem & maculas in corpore venenum excitare, Medicorum schola nos docet: Hinc & illorum cadauera, qui poto veneno interiisse putantur, insecantur. Hinc & crudelis *Nero* quum fratrum suum adoptiuum *Britannicum* qui & *Germanicus* vocatus, veneno sustulisset, hocque fratricidium apparentibus liuoribus & maculis, quas toto corpore venenum excitarat, abunde proditum esset ad contegendas eas corpus gypso liniri iussit. Verum, cum id efferretur, decidente copioso imbre, detersum est tectorium, & sceleris immani-

manitas omnibus patuit. Vide *Horatii Albini enarratio. de Veneno D. Leonhardo Voiro* exhibito addit pulcre *Baldus Angelus Abbatius de admirabili vipera natura c.31. De Venenorum signis.* Etiam ipsa vasa, in quibus venena manserunt, ex colore non secus, quam vasa fracta, sono ac homines voce dignosci: vasa enim aut colore nigro, aut liuido afficiuntur, maxime si metallica fuerint Veneno &c. Et narrat *Galenus lib 7 de locis affectu*, quod ita discernes eos qui venenum assumserunt, ab his qui aliunde affecti sunt. Nam dicit ipse, si quem suapte natura probis succis abundantem, ac sanorum more educatum repente esse moriturum videris, deinde corpus, aut diffluens, aut nigricans, aut varium, aut liuens, aut pro marcore fœdum molestumque reddit odorem, hunc lethali veneno potionatum esse iudicium est Veneno quem esse necatum, indicat liuor aut tumor cadaueris, vt *Autor ad Herennium lib. 2. Tit.* in constitutione coniecturali *Franc. Cason. de indiciis & tortur. in præmiss. c. 4. 12. 10 & 3.*

CAP. XXII.

De subtilitate & tenuitate Cadauerum. De Duce Alexandro Florentiæ.

HOminem inter omnia esse tenuissimæ substantiæ, tum illius adipem, ostendit sepulcrum ducis *Alexandri Florentiæ*, quod cum ex candidissimo marmore crassoque constaret, pingeedine tamen cadaueris transfeunte fœdatum est, tum basis decidentibus in eam guttulis columnarum.

CAP. XXIII.

Alia historia de Cadauere Alphonsi Auali.

ALphonsi Auali, quanquam medicamentis plurimis, tum sale ac sabulo siccatum esset cadauer, pinguedo transmeans, plumbum in subiectas è loculo petras decidens, eas fædauit, & tamen mortuorum corpora non sunt tantæ tenuitatis, quantæ viuentium.

CAP.

CAP. XXIV.

De pondere Cadauerum.

Refert *Plinius lib. 7. c. 17.* nat. *hist.* defuncta corpora, omnium animalium viuentibus præstare pondere: cuius ratio est discessus animæ, quæ alleuiat, & leuiorem reddit hominem, ex virtute naturæ suæ. Hinc & *Lateres cocti* sunt grauiores, quam antequam in fornacem ponerentur. Causa esse potest, quod vbi facti sunt, in sole exsiccantur, concipiant aeris non parum, qui intro latens multo leuiorem lapidem reddit, quam idem fit igne exustus. Itaq; dum coquitur later, grauior efficitur, quanquam humidum assumtum sit. *Cardanus de subtil. Weckerus de secret lib. 3. c. 5 in fin.*

CAP. XXV.

Cadauera cur viuentibus sint grauiora?

Neque viuorum omnium corpora post mortem grauiora sunt, quam erant in vita, neque quo grauiora sunt, idcirco præcise grauiora facta sunt, quia vitam amiserunt, sed potius quia spiritus vitales, qui erant leuiores, exspirarunt, & partes aliæ, quas calor vitalis leuiores effecerat, exhalato calore ad grauitatẽ naturalem, & sibi insitam redierunt. *Andreas Baccius Elpidianus in libell. de gemmis. c. 2*

CAP. XXVI.

De pondere cordis humani.

A *Terentio Varrone* traditum est, ex *Dioscoridis* autoritate, qui siderum scientiam calluit. Ægyptios quidem ipsos, (quibus seruandi medicata cadauera cura fuit) subtili admodum & arguta ratione deprehendisse: quo maxime vitæ spacio ætas hominis æstimari debeat, sumpta ex pondere humani cordis coniectura itaque affirmarunt iidem Ægyptii centum omnino annis hominum vitam definiri: quod eorum cor, qui sine vlla corporis tabe perierint, hoc ipsum declaret, quoni-

am, cum ætate (si expendatur) aucta atque damna, referat. Anniculi enim pondere duarum drachmarũ, bini quatuor, & sic in singulis annis, vsq; ad quinquagesimum binas accedere, vt centum drachmis existat quinquagenarii hominis cor. Ex eo deinde numero, vnoquoquo anno binas detrahi ac minui, quo perspicuum est, ab anno centesimo, ad primam sui ponderis redire, neque longius posse proferri. Quod ego tamen inquit *Petrus Crinitus acutius quidem existimo quam verius lib. 7. c. 9. de honesta disciplina.*

CAP. XXVII.

De Iohanna Regina Nauarræ.

IOhanna Regina Nauarræ, venenatis odoriferis Chirothecis à regis Franciæ apothecario Renato, ad diem 8. Iunii anno 1572. sublata est *Selneccerus. Saurius in diario.*

CAP. XXVIII.

De Clemente VII. P. R.

CLemens Pontif. Rom. nominis 7. accensæ venenatæ candelæ, quæ ipsi præferebatur, odore & suffitu, interficiebatur, dum nimirum fumum ad se recepisset. *Ambrosius Paræus regius Chirurg. Franc. lib. 20. c. 7.*

CAP. XXIX.

De halitibus & vaporibus venenosis.

AEr per commixtionem venenosorum halituum & vaporum, qui vel ex insepultis cadaueribus, in prçliis cæsorum, aut ex terræ motu ascendunt, inficitur & corrumpitur. Nam quamprimum aer cauernis & speluncis terræ occlusus, & transitus sui & communionis cum altero extero aëre priuatus est, non potest non corrumpi, & sic adipiscitur malignam & venenosam proprietatem, quam etiam statim in eos, qui eo vtuntur, & cum transeunt, conuertit. Postremo tandem aër medio & arte comparatorum suffumigiorum corruptus & infectus, postea in spiritum per os & nasum, in transitione

vero

vero per cutim & venas in corpus, & interiora membra attractus, ibi primo spiritus, & humiditates, post vero principaliora membra, præsertim cordis substantiam inficit, in suam naturam mutat, & sic nisi ipsi principio sternutamento, sudore, excretione, obuietur, hominem tandem perimit. Siquidem venenum, quod per odorem in corpus intrat, omnium aliorum citissimum & vehementissimum est, exemplo sunt.

CAP. XXX.

Angues ex medulla cadaueris humani nasci.

PLinius lib. 10. c. 66. nat. hist. scribit, Anguem ex medulla hominis spinæ gigni Hoc verũ esse, & experientia testatur, & illustratur exemplo à Plutarcho: Quum enim iussu *Ptolomæi* cadauer *Cleomenis* in crucem actũ esset, & custodes cadaueris, Draconem caput eius circumplicantem, faciemque operientem, ita vt nulla carniuora auis aduolaret, vidissent: Alexandrini, inquit, etiam frequentes ad eum locum commeantes, heroëm Cleomenem & deorum filium appellauerunt, tantisper, dum eorum doctiores monuerunt, docentes, putrefacto bouis cadauere apes, equi vespas, asini scarabeos generari: In humano autem corpore, confluente sanie, quæ est circa medullam, & in vnum coalescente, angues nasci. Vt *Isidorus tradit lib. 2. c. 4.* Antigonus *Phegon, Trallianus, Appianus, Alexandrinus aliique historici* à mulieribus oriri viperas, ex hominis quoque capillis serpentes nasci tradiderunt ex eo consensum probari, quod *Antigon. lib. 1. bell. ciuil. n. 91.* ex spina paruos serpentes nasci his qui ante obitum serpentis cadauer adorati fuerunt. Vnde Archelaus hoc Epigramma confecit,

Cuncta in sese alterni æuivis longa reuoluit
Et vicibus certis omnia mundus alit
Et curuæ spinæ serpens res mira medullis.
Nascitur hoc monstrum putre cadauer habet.
Traxerat ex animi vivus serpentis odorem &c. allegat *Baldus Angelus Abbatius in lib. de natura viperæ c. 11.*

Ouidius. *Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulcro.*
Mutari credant humanas angue medullas.

Quod *Isidorus* etiam scribit *lib.12.c.4* Quin antea etiam *Plinius* tradidit, *lib. 10. c. 66.* his verbis: *Anguem ex medulla hominis spinæ gigni accepimus à multis.* Sed & *Ælian.lib 2.c 53.* Hominis *inquit* mortui spinæ medullam putrescentem in serpentem conuerti aiunt, exoririq; feram & serpere animantem immanissimam, ex mansuetissimo.

CAP. XXXI.

De cadaueribus Fulguritorum.

NOtand. miraculum Fulguritorum: quod homo fulmine tactus supinus iaceat, &faciem erigat. Cuius mirabile exemplum enumerat *Cardanus de rer. var. lib. 8. c. 44.* Referunt, inquit, in Lemno Insula, vbi Insulæ cornu diuiditur, octo messores sub quercu cœnantes à fulmine percussos atque exanimatos mansisse, sub ea specie, qua discubuerant, vt vnus comedere videretur, alter ori pocula manu admouere, alius bibere, cumque nigri omnes essent, imaginem statuarum totidem repræsentabant. *Mizald scribit fol 478.* Corpora fulguritorum non corrumpi, neque à canibus, vel volucribus lacerari. Cum hic in Fulguritorum mentionem inciderimus, visum est annectere religionem antiquitus fuisse, fulguritos igne cremari. *Hinc Plin.lib.2 c 54.*

Hominem ita exanimatum cremari fas non est, condi terris, religio tradit. & *Tertull.* Qui de cœlo tangitur, saluus est, vt nullo igne cinerescat. Sepultos autem fuisse eo ipso in loco, vbi fulmen eos occiderat, *Arthemidorus docet lib.2 c. 8.* οὐ γὰρ οἱ κεραυνωθέντες μετατίθενται ἀλλ' ὅπου ἂν ὑπὸ τοῦ πυρὸς καταληφθῶσιν ἐν ταῦθα θάπτονται: Fulguriti non transferuntur in alium locum, sed vbicunque fulmine occupati, ibi & sepeliantur. Quo pertinet scholica illa lex *Quintilian. declam. 264.*

Quo

Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eodem sepeliatur. Excipitur tamen locus publicus: cuius exemplum est ap. Festum: *Statua est*, inquit, illi, *Lucii eius qui quondam fulmine ictus, in circo sepultus est in Ianiculo.* Humat igitur quidem οἱ κεραυνοπλῆγες, sed sine vllis iustis, & funerum solemnibus, prohibitis *Casea* lege *Numæ Pompilii*, quam recitat *Festus* in voce *occisum*: *Sei Hominem fulminis occisit, em supra genua ne tollito. Homo sei fulmine occisus esit, ei iusta fieri nulla oportet o.* de cuius legis vero interpretamento legatur *Kirchmannus lib. 1. c. 3. de funeribus Romanorum Lucus Fruterus per epistol. quæsit. ad M. Anton. Muretum ep. 25. lib. 1.*

CAP. XXXII.

Cur tacta pars à fulgure sit frigidor.

ET admirandum illud, quod cum fulgura vulnus intulerint, vulnerata pars longe frigidior est reliquis partibus corporis, cum tamen ipsum fulmen ignitum sit. Ex *Plin lib. 2 c. 54.* At eius rei ratio forsan est, quod ignita omnia, cum refrigerantur, frigidiora solito fiunt. *Simon Maiolus Episcopus Vulturariensis in diebus canicularibus colloquio 1. p. 21.*

CAP. XXXIII.

Exempla Fulminatorum.

DE *Romulo, Tullo Hostilio L. Iulio Pompeio Strabano procos. M. Aurelio Caro Imp. Anastasio Imp Olympio Simeone M Claudio Zaroë Arphaxat.* Quanquam minime nouum sit de cœlo tactum quenquam perire, res tamē haut indigna notatu est, cum qui magna fortuna sunt, fulminati inueniuntur, præsertim raram atque inusitatam rem agentes, quemadmodum contigit parenti conditorique vrbis *Romulo*, qui editis iam immortalibus operibus, cum ad Capream paludem concionem ad milites haberet, subita coorta tempestas, cum magno fragore tonitribusq;, tam denso regem operuit nimbo, vt conspectum eius concioni abstulerit, nec deinceps vn-

quam in terris apparuerit, Romani autem milites à *Iulio Proculo edocti* ad Deos regem raptum esse, diuinos statim illi honores exhibuerunt, *Iul. Obsequens de prodigiis c. 1.* ¶. *Tullius Hostilius* dum Numam sacrificiis imitatur Ioui litare non potuit, sed fulmine ictus, cum regia conflagrauit. *Iul. Obsequens. c. 3.* ¶. *L. Iulius equestris* in Sabinos proficiscens, fulmine vna cum equo exanimatus est. *Iul. Obsequens. c. 50.* ¶. Sic & *Pompeio Straboni* proconsuli contigit, qui vna cum Octauio, vt Mario Cinnęque se opponeret, iuxta vrbis Romæ portam, armatus atque equo insidens à fulgure periit, visus est enim facto Deus ostendisse quantopere ciuilia bella damnaret ¶. *Carus* quoque Imp. cum ad Tygrim amnẽ castra aduersus Persas haberet, atque æger iaceret, de cœlo tactus combustus est, cum Romani infaustum haberent bellum, quod trans amnem illum suscipe-rent. ¶. *Fl. Valerius Anastasius* Imp. imperii sui anno 4. & vigesimo, in vrbe Constantinopoli, eodem quo Carus fato decessit *Fulgos. lib. 9. c. 11.* de *inusitat. mortis generib. fol. 776.* *Anastasius* Imp. quoniam Eutychianæ hæresis fautor fuerat infelix fulmine percussus interiit, vti habet *Paul. Diacon. & Egnatius.* verũ quia Zonoras id explicatioribus verbis narrat, libet ipsius verba referre, quę habet tom. 3. Anastasius deterritus est somnio: videbat n. virum terribilem, qui librum manu gestans, diceret ecce ob peruersitatem fidei tuæ annos 14. vitæ tuæ deleo: & quia fatale sibi esse ex oraculo didicerat, vt fulmine interiret, Tholotum ædificium construxit, in eoque degit, sed frustra: nam cum aliquando tonitrua horrendum in modum resonarent, & fulgura multa elideren-tur, atque ipse perterritus, è cœnaculo descenderet, & alios atque alios thalamos subiret, in quodam regio cubiculo mortuus est inuentus: *Hæc ille.* Sane fulmine, quod se putabat effugere ictus est vt *Cedrenus* explicat. *Gratianus* in decretorum libris videtur hoc mortis genus tribuere Anastasio põtifici Romano, sed perperam, vt videre est, *in libris de primatu Rõ. Pontif.* in eius princ.

¶ Sed & *Olympius Carthaginensis Arianus Episcopus* cum

eum publice in balneis sanctam Trinitatem detestaretur, tribus fulminibus ictus concidit, eiusque cadauer exustum omnino fuit. *Platina in Anastasio 2.* ¶. Legitur apud *Sophronium in prato spirituali c. 57.* ibid. Quadraginta fere milliaribus ab Ægris ciuitate Ciliciæ Stylites erat nomine Simeon: hic fulgure percussus interiit: Abbas ergo *Iulianus Stylites* presbyter præter consuetudinem suam, insolito tempore dixit discipulis suis: *Mittite Thymiama in Thuribulum.* Qui dixerunt ei, *dic nobis causam pater:* orabantque vt diceret eis: Senex autem dixit: *Quia modo frater meus Simeon à fulgure deiectus interiit & ecce transit anima eius cũ tripudio & exultatione:* distabant autem ab inuicem milliaribus fere viginti quatuor. Quandoque igitur non adeo ira Dei censenda est, cum quis fulmine de cœlo tangitur, cum accidat id etiam sæpe viris Deo charis, sicuti Simeoni Stylitæ sanctissimæ vitæ viro accidit. Quandoque etiam ad augenda diuina miracula, aliqui de cœlo tanguntur, quod accidisse compertum est, Galli sanctissimi viri tempore: ¶. M. Æmilio C Hostilio Mancino coss. Terracinæ M. Claudius prætor in naue fulmine conflagrauit. ¶ Zaroës & Arphaxat Magos in Persidis ciuitatibus ludificantes homines, ipsa hora martyrii Simonis & Iudę apostolorum fulguris ictu exustos fuisse tradit *Abdias Babyl. Epist. lib. 6. certam. apost. Wierus de præstigiis Dæm. lib. 2. c. 4.*

CAP. XXXIV.

De Fascino interemtis.

DE fascino interemtis scribitur, quod eorum sanguis in naturam veneni degeneret. Et verisimile est, siquidem grandem mutationẽ à venenatis halitibus natura est perpessa. Id constat fulmine interemtorũ carnes & cruorem esse venenatũ, lethiferumq;. Bestias mortuas esse, quæ gustauerant cadauerũ peste interemtorũ viscera, scripsit id olim *Thucydides* in Attica peste grauissima accidisse, vt cadauera defunctorũ nulli carniuoræ

bestię impune licuerit gustare, coruique circa eadem apparuerint nulli, qui alioquin ad tales cibos assunt frequentes *Iordanus Medicus in lib. de pestis phænomenis* negat, id malitia pest fera euenisse, sed odorem tetrum, odiosumque saporem voratiores abstinuisse, cum alia (quia peste) interemtorum quadrupedum viscera sit auide deglutiant. Putat autem istum fœdum odorem, saporemque etiam in viuis fuisse, restitasseque alicubi in defunctis. Quod *Thucydides* de cornis ait, id putat ideo factum, quia nulli erant omnibus fere lue abactis aut interfectis.

CAP. XXXV.

De Marco Curtio.

Q. *Seruilio Hala L. Genutio II. Coss.* Romę medio foro, siue motu terræ, siue qua vi alia terra specu vastissimo collapsa est, quam terræ voraginem, nemo neque terræ coniectu, neque vlla quauis alia materia explere potuit. Inficiebantur autem, ex editis inde vaporibus pestilentissimis, multorum hominum corpora, quę cum remedia omnia respuerent, rebus iam desperatis, Deorum monitu Marci Curtii strenui demum equitis animoso facinore liberati sunt: posteaquam enim se pro salute patriæ, in specum armatus præcipitasset, pestis statim post multorum funera sedata est *Iul. Obsequēs de prodigiis c. 20 Valer. Max. Tit. De pietate erga patriā. Orosius lib. 3. c 5. & August. de ciuit. Dei lib. 5 c. 18. Zonaras quoque Tom. 2.* Vnde non fabulosum, sed superstitiosum quoque putandum est, sicut aliis quoque eosdem Ethnicorum temporibus contigisse tradit *Liu. dec. 3. lib. 10. Dec. 4. lib. 2.*

CAP. XXXVI.

De Plinio.

C. *Plinius* historiæ naturalis scriptor celeberrimus, qui classem *Miseni* cum imperio regebat, dum auidius causas incendii montis Vesuuii in Campania per-

perscrutari, & proprius accedere cupit, ad Herculaneium portum, vi æstus atque vaporis suffocatus, quemadmodum *Plinii ex sorore nepos C. Cæcilius*, qui tunc cum auunculo *Miseni* erat, ad *Tacitum* historicum scribit latius, quem *Franciscus Petrarcha* salse notans, ridet in suæ Famæ triumpho multa scribentem, & incaute morientem.

Mentr' io miraua subito hebbi scorto.
Quel Plinio Veronese tuo vicino
A scriuer molto a smorit poco accorto.

CAP. XXXVII.

De Baldo ICto.

ERat Baldo omnium ICtorum facile principi, in deliciis Catellus Melitensis, quo cum aliquando leniter luderet, leuiter ab illo in labro mordetur, ac post quartũ mensem rabie ipse totus correptus est, & hydrophobeticus, item aquas metuens, effectus interiit. *Matthiolus in Dioscoridem. Genebrardus in Vrbano V.*

CAP. XXXVIII.

De Iouiano Imperatore.

IMp. *Iouianus*, cum vrbem Romam peteret, Dadastanæ (qui locus inter Bithyniam atque Galatiam est) fumo, siue nimio prunarum calore, quæ in cubiculo ad ingens arcendum frigus positæ fuerant, suffocatus est inuentus.

CAP. XXXIX.

De Q. Catulo Rom.

EOdem fato etiam obiit *Q. Catulus Ro.* qui vt mortẽ crudelem præueniret, metuebat enim Tyrannum istum Syllam, in cubiculo recens calce tectoria illitum, sese contulit, & adhibito igne, excitatoque suffitu placide obiisse dicitur.

CAP.

CAP. XL.

De prouerbio: Tot, quot sunt in orco mortui.

PRouerbialis locutio est: *Tot esse quot sunt in orco mortui*: de iis quorum copiam magnam indicare volebant: *Theophrastus in characteribus Ethicis cap.* περὶ ἀναισθησίας ibiq; *Causa bonus* in *not.* Ap. *Plautum* in Penulo Agorastocles adolescens iusanorum more loqui incipiens simile quid ait: *Non hercle*, inquit, *meream quantum Acherunte est mortuorum*: neque quantum aquæ est in mari: neque nubes omnes quantum sunt.

CAP. XLI.

Expositio prouerbii Hebræorum apud Gigantes.

NOn Barbarorum more, sed & Hebræorum popularis opinio, vmbras defunctorum, non nisi maiores solito apparere, & apud inferos altiori specie & forma comparere. Hinc natum ap. ipsos Hebræos prouerbiũ, *apud Gigantes* id est, apud inferos prouerb. 21 vulgata versio, vir qui errauerit in via doctrinæ in cœtu gigantum commorabitur. Gigantes hic pro mortuis. Eodem pacto prouerb. 2. vbi agitur de victima publicarum libidinum, pro quo vulgatus interpres habet *Ad inferos semita ipsius* ex Hebræo eruditissimus *Drusius vertit*: *Ad Gigantes* & ex Glossario Philonis dictionem *Raphaim*, gigantes sonare, ita *Drusius quæst.* 37. *lib.* 1. *Ioannes Tilesaeus de idololatria magica* §. 5.

CAP. XLII.

Cur morientes super plumis mori nequeant?

TRadit volgus hocce peculiare, plumis gallinarum. Verum, si qua causa est, puto esse, cum mors incipiat ab inferioribus, & calor naturalis ab ibidem cesset, & desinat esse, homines astantes calidis vtpote linteis, & plumis ipsam producere vitam, propellere mortem tentant,

tant, & sic morientem morantur, ideoque ad stramen ceu frigidum ponunt, vbi mors frigida statim adest.

CAP. XLIII.

Mors vt leuior reddatur.

MOrs homini minus molesta est ex senio, vt *Aristoteles* inquit: hoc solo deterior, quod ante multa perfert incommoda adeo senex: proxima quæ ex viperæ cuiusdam morsu contingit, cuius meminit *Plutarchus*: succedit huic, quæ ex potu meconii: nam dormientes pereunt. Quarta fit potu cicutæ, de qua *Theophrastus*. Sed hæc torquet persæpe vt & meconium. Viperæ autem morsus non adeo cuique in promtu est. Quinta fit dealbatis nuper cubiculi parietibus, accensisque carbonibus, cum quis dormierit. Vltima contingit his, qui in aqua suffocantur, nam, quæ sanguinis profluuio accidit, iuxta finem laboriosa est, vt *Tacitus refert Cardan. de variet.*

CAP. XLIV.

De morte absque dolore.

CHii cicutæ cortice iam detracto, succum aquæ mixtum damnatis propinabant, ad mortem absque vllo dolore accersendam: *Theophrasti* testimonio. Imitabantur enim mortem, quæ in extremo senio contingit, aut ob spirandi difficultatem, aut ob spiritus vitalis resolutionem. At spiritus cum sponte dissoluuntur, dolorem nullum afferunt, velut in laborib. Sed causa quæ spiritum dissoluit, vt febris vulnus, plerumque ipsa dolorem affert. Cicutæ igitur succus, soporem grauem inducens frigiditate immodica spiritus ipsos absque dolore extinguit: difficultatem vero spirandi non maiorem ea, quæ spirituum paucitati satis faciat. Quo fit, vt non acerba mors accidat, velut his, qui aqua suffocantur, multo vero minus, quam strangulatis. Itaque mors hæc, quæ ex cicutæ succo paratur,

& quæ

& quæ ex morsu viperæ sui generis, de qua *Plutarchus in M Antonii vita* cum sopore graue sit & similima est ei, quam vltima contingit senecta, vnde etiam absque dolore est. Itaque nihil mirum, si *Chii Athenienses*que viros egregios, quos morte dānassent, cicutæ succo perimerent, vt quod adimerent vitæ ac dignitati, illorum mortis lenitate compensaretur *Hieron. Cardanus in lib. 8. de subt. de plantis.*

DE MIRACVLIS MORTVORVM PARS SEPTIMA.

CAP. I.

De sepultura.

SEpultura, licet nihil felicitati defunctorum addere possit, magna tamen ap. omnes ferme gentes eorum fuit religio, sic vt violatores sepulcrorum graui supplicio afficerentur *Tit. de religios. & sumtib. funer. tit. C. de sepulcro violato.* Apud Athenienses sepulcrorum tanta cura fuit, vt etiam peremtos bello si quis dux honestare sepulcro neglexisset, capite plecteretur. Apud Hebræos cauebatur lege, ne hostem quidem insepultum relinquerent Nec vlla fere tam efferata gens, quæ non habendam sepulcrorum rationem senserit, præter *Lotophagos*, quos ex vltima dicunt barbarie suos in mare defunctos abiicere. Non tantum humanitatis, sed etiam plenum pietatis est officium, honesta sepultura mortuos ornare, præsertim inter Christianos, qui sciunt credentium mortem esse somnum à quo in extremo die excitati, cœlorum regni cohæredes cum Christo filio ab æterno patre suscipientur. *Hondorff in theatr. histor. in Exempl. noni & decimi præcepti de sepultura.* Quid *Diogenes Cynicus?* cum ab amicis rogaretur, vbi vellet inhumari, *proiicite*, inquit *me inhumatū.* Tunc amici quo *volucribus ne & feris? minime*, inquit, *sed bacillum prope me* po-

me, quo abigam ponitote. Qui poteris? illi, non enim senties. Qui igitur mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti? Cic. 1. Tuscul apophth. 37. simile *Timon Philosophus* Atheniensis, qui omnes mortales oderat, quin sibi quoque ipsi infensus erat, ei enim propter immaturam mortem, id placebat, quod alii iure omnes abominabantur, expresse ordinauit, ne corpus suum humaretur in terra, sed conderetur mari, ne homines ossa & cineres viderẽt, & à fluctibus creatura abigeretur & fecit fieri tale Epitaphium recitante *Plutarcho* referenti *P. Boysteau in theatr. mundi.*

Apres ma miserable vie
Le suis enterre soubr ceste vnde
De scavoir mon nom n'aye enuie
O Lecteur) que chieri te confonde.

CAP. II.

Quid de illo qui mandat corpus suum non debere sepeliri?

R. Quod non debet impleri per *L. 27. ibi.* Quidam in suo testamento hæredem scripsit, sub conditione: *Si reliquias eius in mare abiiciat:* quærebatur, cum heres institutus conditioni non paruisset, an expellendus esset ab hæreditate: *Modestinus respondit.* Laudandus est magis, quam accusandus heres, qui reliquias testatoris non in mare secund. ipsius voluntatem abiecit, sed memoria humanæ conditionis sepulturæ tradidit. Sed hoc prius inspiciendũ est, ne homo qui talem conditionem posuit, neque compos mentis esset. Igitur perspicue rationibus hæc suspicio remoueri potest, nullo modo legitimus heres de hæreditate controuersiam facit scripto hæredi, *D. de condition. inst.* ibique *Gothofr.* ad *verb. sepulturæ:* an, quia id hominis conditioni, inter cætera animantia debeatur, vt mortuus sepeliri debeat, non abiici, an vero testandæ immortalitatis causa id fit, cum sit eius nota sepultura? *Cic. 1. Tuscu.* Quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant,

ficant, nisi nos etiam futura cogitare? *Idem 3. de finib.* Ex hac animorum affectione testamenta commendationesque morientium natæ sunt, vbi verbum *commendandi* ad sepulturam refero, *l. 14 §. 4. D de religios.* an potius, quod sepultura quasi imago est, corporis humani, corruptioni obnoxii? *Angelus Clauass in summa Angelica vocab. sepultura §. 44. & ndt. 21. dist. §. nunc autem in Gl.*

CAP. III.

Vnde dicatur cœmiterium?

VErbum *Cœmiterium* nihil aliud significat, quam *Dormitorium*, nam fides nostra nos docet, fideles non mori amplius, sed solum modo dormire ad aliquod tempus, in dulci requie vnde resurgent beate, non ad dormiendum, sed perpetua gaudia gloriæ cœlestis *Matth 9 Ioan 11 1. Cor. 15. 1. Thess 4* Vnde legimus, Saluatorem nostrum, & Apostolos solitos fuisse appellare mortem, *Dormitionem siue somnum* & mortuos *dormientes.* Et in veteri testamento, frequentius reperitur hic modus *loquendi vsitatus de mortuis in Domino* (Et *dormiuit cum patribus suis* in libris Regum & Paral. &c. *Henricus Spondanus in lib. Les Cimitieres sacrer c 4. 8.*

CAP. IV.

Vnde dicatur sepulcrum?

A *Latinis* duo nomina locis sepulturæ data sunt: *Sepulcrum & Monumentum.* & vtraque cum bellissima Etymologia: Sepulcrum enim nominarunt, quasi *sempulcrum* Sunt enim sæpissime exterius è marmore, alabastrite, artificioso labore facta, & intra plena horroris propter cineres, & vermiculos inclusos, vnde adagium ortum de rebus extra pulcris & bellis, intra deformibus, *sepulcra Ægyptia.*

CAP.

CAP. V.

Vnde dicatur monumentum?

MOnumentum, est illud repositorium, in quo mortui reponuntur, scilicet sepulcrum siue corpore, & dicitur à *moneo*, quasi *monens mentem* vnde S. Augustinus, nam & memoriæ nomen id apertissime ostendit, & monumentum, eo quod moneat mentem, id est admoneat nuncupatur. *Fr. Innocentius Cybo in tractatu Italico de sepolcri Dialogo 2. p. 39. ICto Florentino* quia extat ad memoriam defuncti. *L. monumentum* ibi monumentum generaliter res est, memoriæ causa in posterū prodita, in quasi corpus, vel reliquiæ inferantur, fiet sepulcrum, si vero nihil eorum inferatur, erit monumentum, memoriæ causa factum quod Græci κενοτάφιον id est inane sepulcrum appellant. *D. de religios. & sumtib. fun Vlpian. in l. 2 § 6.* monumentum est, quod memoriæ seruandæ gratia existat. *D. eod. tit.* vt sunt fana, porticus scripta carmina, quæ quamuis mortui causa facta sint, non tamen significant ibi sepultum. *Festus in monumentum.*

CAP. VI.

Quare sepultura instituta?

CEremonia sepulturæ quotidie nobis est vel vt speculum Resurrectionis, & est instituta in considerationem firmæ, & certissimæ spei, quod animæ immortales, quandoque resument corpora sua, quæ eo modo custodiæ, & quieti data sunt, vsque ad extremū diem, in quo reuelantur, ad viuendum & vigilandum in æternum. *Spondanus in d. tr. c. 1. p. 10. Papiniano* propter publicam vtilitatem, ne insepulta cadauera iacerent, *l. sunt personæ 43 D. de relig. & sumt. fun. & Pomponius in l. quod si nulla 28. De eod* ibi, ne iniuria eius videretur, quondam vxorem eius insepultam relinqui, hac iniuria adfecti patriæ proditores, *Xenophon* ἑλλην *Thucydid. 1.* sane sepulturæ actionē pium opus esse omnib.

confessum, idque testatur *Pausanias in Atticis. Ammianus Marcellinus 31.* author dialogi, qui *Palinurus* inscribitur, tradit *Charontem* insepultos vltra Acherontem fluuium minime traiicere. Hinc laudi datum Herculi, quod hostium cadauera sepeliri primus permiserit. *Ælian. 12. de varia hist.* proinde merito detestandi, qui sepulturam contemnunt, quales ap. veteres *Diogenes & Demosthenes* teste *Stobæo & Luciano.*

CAP. VII.

De Consecratione cœmiteriorum.

ANtiquitus cœmiteria eodem tempore, quo templa, ab Episcopis consecrata fuere. *13. q. 1. can. 1 de consecrat. dist. 1. can. nemo. de consecrat. Eccles. cap. consuluistis: Cyprianus 1 ep. 4. Gregor. Turon. de glor. confess. c. 106. Yuo ep. 229. Concil. Melt. can. 72.* & illud eo fine, quod cum maledictio in creaturas inanimatas, post peccatum primorum nostrorum parentum inferat facilitatem & facultatem magnam nimis, in diabolis ad nostram ruinam causand. Sic illa benedictio & consecratio, data & facta ab Episcop. auferat, & semoueat illam facultatem, & adferat dispositionem ad seruiend. Deo, & vltra, cum maligni spiritus frequenter soleant cohabitare circa sepulcra, teste *D. Chrysostomo* hom. *35. in Matth.* & legimus quod dæmoniaci habitarint in monumentis, vnde adorti & aggreßi fuere prætereuntes, *Matth. 8. c. & Franc. Venetus tom. 2 problem sacr. script sect. 2 publ 79. & 8.* notat quod dæmones frequenter versentur circa corpora mortuorum, inde cœmiteria consecrata, vt diaboli minus ibi potentiæ haberent. *Spondæus Les cimitieres sacrer c. 1 pag 17. 18.* & quomodo debeat fieri consecratio, habetur in pastorali *Angel. Clauaß. in summa Angelica in verbo consecratio 4. per tot.*

CAP.

CAP. VIII.

De Herba Betonica.

HInc & *Antonius Musa Medicus Imp Augusti* in tractatu quem fecit de *virtute herba Betonica c. 6.* refert, quod antiqui soliti fuerint ponere hanc herbam in cœmiteriis, & locis sacris, ideo quod illa sit sancta, & vtilis ad multas res, & securum reddat de visionibus auersis, & metum adferentibus *Matthiol. in Dios. Spondaus d. loc.*

CAP. IX.

Relatum ex lege Menia de comprimendis morientium oculis: & quod minime filiis liceret parentum oculos occludere.

DE *Lege Menia* scriptum est sic: Apud veteres fuisse cautum, ne filii parentibus oculos in obitu sugillarent: quoniam pietatem ostendi, atque probari existimarent: Verba legis hæc sunt, vt est autor *Terentius Varro: Ne filii parentibus luci claros oculos sugillanto.* Quod ipsum & *Marcellus Nonius* obseruauit *C. autem Plinius* refert sacrum fuisse magno ritu. Qui ritum, vt morientibus oculos operirent, in rogo autem patefacerent, quo magis iudicare posset, neque ab homine supremum eos spectari fas esse, & cœlo non ostendi nefas: Hinc frequens locus, ap. Poëtas, ad pathos maxime permouendum, de operiendis comprimendisque morientium oculis: quo nomine infelices, inquit, Plutarchus eos vulgo solemus vocitare, quorum oculos propter absentiam non potuerint parentes obtegere, *Petr. Crinitus de honest. discipl. lib. 18. c. 12.*

CAP. X.

De sepultura in terra.

HEraclitus *Philosophus* inter alios omnes credidit Ignem omnium rerum naturalium solum, & ve-

rum principium esse, voluit idem, vt subito post mortem, corpora humana darentur combustioni, arguendo, quod omnes res creatæ, sequendo motum Sphæricum deberent in fine ad suum redire principium. Verum, sacra pagina satis demonstra, non de igne, sed de terra summum opificem corpora nostra formasse, & consequenter secundum datam regulam in terram corpora nostra reuertentur. *Tales Milesius* vnus ex septem illis sapientibus *Graciæ*, quia aquam omnium rerum credebat esse principium, terræ existimabat mandari debere cadauera, vt successiue resoluta in humorem, vltimo in aquam illorum principium redirent: summatim, omnes sapientes in hac causa alii, alii ex altera semper sepulturam in terra elegere. Ideo *Antonius Cæsar* plane sustulit abusum illum combustionis cadauerum in Roma, & ordinauit, vt in terra conderent. Ideo *Xenophon* in Cyropedia introducit Cyrum, in puncto de sua morte ad seruos suos perorantem, sic: Mei pueri cum decessero, nolite neque in auro, neque in argento, neque in alio aliquo lapide collocare, sed terræ statim reddite: quid enim beatius, quam terræ commisceri, quæ tot pulcra nutrit, & parturit? Ideo vt refert *Theocritus*, Graci nominarunt sua sepulcra *Eria*, quod nomen in puncto deriuatum est de terra, quam ipsi nominabant *Era*. Inter illos, qui terram pro sepultura retinuere, diuersissimæ fuere opiniones, alii namque voluere sepeliri in vrbe, alii extra vrbem, in campo. Hi iterum discordant, alii nempe campum nullum fertilem elegere, alii voluere desertam solitudinem. Illorum aliqui in publico foro, alii in templis sepeliri volebant, de quibus vid. *Innocentium Cybum de sepolcri Dialog. 2. p. 35. 36.* quo beneuolum selego lectorem.

CAP.

CAP. XI.

De priuatione Ecclesiastica sepultura.

DVodecim differentiis personarum interdicitur *Ecclesiastica sepultura.* 1 *Excommunicatis, Cle. 1. de sepulc.* & de pœna contra facientium habet *summa Angelica verbo, Excommunicatio 7. casu 35.* & hoc verum nisi absoluantur. 2. *Manifestis vsurariis d Cle. 1. &c.* quāquam *de vsuris lib. 6.* summa *Angelica supra cit. vs.* hoc verum nisi pœniteant, & faciant cautionem 3. Qui in torneamentis moriantur, *c. 1. de torneam.* 4 Raptoribus qui pertinaciter cum possint, in vita non satisfaciant & in morte non possunt *c. 2 de malef.* hoc verum, si illam pœnitentiam sibi impositam contemnunt. 6. Qui non communicant semel in anno, nec confitentur, c. *omnis vtriusque de pœ. & re.* nisi signa contritionis ostendant. 7. Qui moritur in peccato mortali notorie *c. cum grauia. 13 q. 2.* 8. Nominatim interdict. *d. clem. 1.* & hoc sub excommunicationis pœna, alii autem interdicti similiter priuantur vt *in c. 35 casu. 9.* illi cui est interdictus ingressus Ecclesiæ *c. 15 qui de sent excom lib. 6.* 10. illi, qui sacerdotem tutorem filiis suis instituit, *88. dist. neque ap.* Gl. ibi contrarium tenet 11. Iudæis, vel paganis de *consec. dist. 1.* ecclesiam & cōsec. 12. Corporibus exenteratis, vel diuisis de quibus *summa Angelica in Excommunicatio. 5. casu. 35.*

CAP. XII.

Exempla Tyrannorum inhumatorum.

ILlud permultis tyrannis contigit, & aliis, qui priuati sunt sepulcra, tam priuata tam publica: exemplo est *Pausanias* Dux Lacedæmoniorum. *Aristocrates* rex Arcadiæ: *Tiberius* & Caius *Gracchus & Q. Fuluius* Romani ter centum milites, qui illorum caput Babelium interfecerant, arresto senatus sepultura ordinaria priuati. Et Impp. *Vitellius Heliogabalus, Maximus* & alii quibus Inda præstitit tumulum. Et *Nestor* dicit ap. Homerum

quod si Menelaus potuisset illaqueare Tyrannum Ægistum, priuasset eum funeralibus, & sepultura. *Hom Odiss l. 3. Plutarch. in lib. de Honor. Appian lib. 2. bell. ciuil.* Quæ, inquit, Plutarchus, est pœna Tyrannorum, & maleuolorum. Quæ pœna simpliciter infligitur, pro punitione corporis, verum principaliter pro castigatione animarum, quas indignas iudicabant, quiete aliqua potiri, credebant enim firmiter, quod illorum animæ perpetuo hinc inde vagarentur, donec terræ & sepulturæ mandarentur.

CAP. XIII.

Vtrum decapitandus & huiusmodi poßint eligere sepulturam.

RQuod si sententia est data, nec appellatione suspensa, non potest, quia nullam vltimā voluntatem potest dimittere *L eius D. de testam* qui etiam non potest pro anima aliquid relinquere, vt *not. Io. Andr. in addit. ad Specul in tit. de Instrumentorum editione*, potest tamen omnia salua petere & recipere, *cle 1. de pe. & re.* Si vero sententia non est data, vel est appellatione suspensa, sic potest eligere *summa Angelica sepultura §. 12.*

CAP. XIV.

De caballis, canibus, ceruo, columba volucribus sepultura ornatis.

QVoi non compertum, quanta pompa *Cimon Atheniensis* sepelierit in proprio sepulcro vicino, equos suos, quibus cum trina vice in ludis Olympicis victor euaserat ¶ Magnus iste *Alexander* sepeliuit famosum suum caballum Bucephalum, altiori & maiori pompa, quam quo dolore eum mori viderat, & ex amore in illum ædificauit in India ad flumen *Idaspen*, vbi mortuus conciderat, vrbem nomine eius insignitam, *Bucephaliā:* ¶ Illud & de Augusto Cæsare, *Antonino* Vero, Nerone Caligula, Adriano, Commodo & quam multis aliis legitur. ¶ Quanto impenso columnarum de porphy-

porphyrite tumulauit Polliacus, dilectissimum suum canem, ornando eum bellissimo Epitaphio. ¶ *Lucidus Philosophus* magno honore sepelire fecit mortuum suum pauonem. ¶ Quanto cum concursu applausit pop. Rom. in funere corui, qui omnes senatores & patritios ad vnum nominatim appellare solebat. ¶ Quis nescit quanto impenso sepelierit Mars rex Ægypti columbam suam nuntiam, ita edoctam, vt hinc inde sub alis literas portaret. ¶ Narrat Diodorus de quodam, qui in sola sepultura diuersorum animalium aliquot vicibus impenderit centum talenta ¶ Persæ & Parthi, & Agrigentini, pro vniuersali consueto more sepeliuerunt suos caballos, & Molossi suos canes, teste *Rhodigino in antiq. lect. 58. c. 13.* Statius Poeta:

-- Gemit inter bella peremtum
Parthus equum fidosque canes fleuere Molossi
Et volucres habuere rogum ceruusque Maronis.

Stroza filius.

Suos de more Molossa vetusto.
Condit terra canes cineres nec lædit apertos

Romæ in hortis Cardinalis Vrbini videre est Epitaphium canis

Quod potui posui tibi fida catella sepulcrum:
Digna magis cœli munere quam tumuli.

Item

Candenti è lapide hæc tibi conuenit vrna: fuisti
Candida tota pilo, candida tota fide:
Si cœlum vt quondam canibus patet, haud tua terras
Incendet, sed ver stella perenne dabit.

Titæ catellæ blandiss.

Antonius Theobaldæus.

Extat & Bononiæ in villa subvrbana epitaphium canis

Latrai à ladri & à gli amanti taqui
Onde à messeri & à madonna piacqui.

Latine.

Furem allatraui parcens taciturnus amanti;
Sic placui Dominis sic placui dominæ.

Sortitus & est Epitaphium equus Stephani regis Poloniæ, Vilnæ in Lithuania, supra recensitum, in parte 4. c. 88. vid. *Nath. Chytræ in delitiis Itiner. in Roma. Donon. Polon.*

CAP. XV.

De sepulcro corui auis.

ROmæ in via Appia, vt *Plin. testatur lib. 10.* sepulcrũ fuit corui auis, qui duorum æthiopum humeris elatus sit, præcedente tibicine, & prælatis coronis omnium generum. L. Verus Antoninus equo cui *Volucer* nomen aureum simulacrum fecit, quod secum portabat, cui quidem passas vuas & nucleos in vicem hordei in præsepe ponebat, & quem sagis fucotinctis coopertum in Tyberiana ad se adduci iubebat, eidemque mortuo sepulcrum in Vaticano fecit teste *Capitolino* in illius vita. ¶ Hadrianus Cæsar Borysthenì equo mortuo monumentum ædificauit, erexitque columnam, inscripto epigrammate ex *Dione* & *Spartiano in illius vita. Plinius lib. 8. c. 42.* Fecit, inquit, & C. Augustus, equo tumulũ, in quo Germanici carmen est. Et Agrigenti complurium equorum tumuli Pyramides habentur. ¶ Narrat *Pausanias in Laco.* 3. super equi monumentum proceres Græcos iuramentum cœpisse se vendicaturos Helenæ raptum. ¶ Anser quoque, Lacydi Philosopho ita adhæsisse fertur, vt nec domi, neque foris, ab eo discederet, quem elatum funere effusis lacrimis sepeliuit.

CAP.

CAP. XVI.

Maritus & vxor in vno sepeliantur sepulcro.

VXor, si est carnaliter cognita, vel ad domum viri ducta, tunc sepelitur in sepulcro viri, quia iam consecuta est domicilium mariti per conductionem, *L. cum quædam puella. D. de iurisd. omn. iud.* vel quia effecta vna caro cum viro *c. Ebion. 13. q. 2.* alias non. Hinc S. Hieronymus: Quos coniunxit vnum coniugium, coniungat vnicum sepulcrum, quia vna caro sunt, & quos Deus coniunxit, homo non separet. Et senex ille *Thobias* in vltimo suo testamento dicebat ad filium: Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepelies, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus, & cum ipsa compleuerit tempus suum, sepelies eam iuxta me in vno sepulcro. ¶ Sed quid si vxor sit cognita, & tamen propter adulterium separata? R. quod non sepelietur cum viro, quia non est amplius de domo viri, nisi sit reconciliata. ¶ Sed quid si mortuo viro vxor recessit de domo mariti? R. Quod licet fuerint opin. tamen placet *opin Archid. & Io. in c. 15. qui. § mulier & l. 6.* quod sepelietur in sepulcro viri, quia licet ad aliud domicilium se transferat, tamen retinet domicilium mariti, vt *L filii § vidua D ad Munic.* vel dic quod locus erit præuentioni secund. *Summam Angelicam.* Et quid de illa, quæ habuit plures viros, dic quod vltimus consideratur, quia vna caro est cum eo.

CAP. XVII.

De situ mortuorum.

MOrtui nunquam decumbunt in latus, neque collocari possunt, vt sine fulcro eo situ permaneant. Est siquidem latitudo tergoris maior, quam lateris, quod omnino angustius est, ac fere, si quis sponte etiam vellet in latus recta libereque procidere, vix posset nisi summa dedita opera, quare accidit, vt citius in latam illam partem ruina fiat, accedente

& ad

& adiuuante situ, & collatione duorum crurum, pedumque *refert Bruno Seidelius de ebrietate lib.1. pag.35.*

CAP. XVIII.

De situ mortuorum in sepulcris.

Situs & status mortuorum diuersimodo fuit obseruatus: nam antiquitus Megarenses nullam habebant curam, aut considerationem in eo: Ægyptii ponebant in pedes vt canit *Solinus:*

--- Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo.

Phœnices sepeliebãt supinos, ast conuertebant ad occasum, mortales tum anima, tum corpore æstimantes. Athenienses versus orientem, vtpote securi de vita, & anima: Nasamones secum ponebant. Hinc Lacon quidam, cum homines defunctos in sellis sedentes videret: *Absit*, inquit, *vt hic sedeam, vnde seniori surgere fas non est*, alios modos plures inuenire est ap. *Brussonium lib. 4. c. 10. de morte.* Verum nos Christiani solemus ponere supinos, vultu conuersos ad cœlum, & versus orientem considerantes vosmet ipsos, & nostrammet conditionem, de qua Ouid.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit & erectos ad sydera tollere vultus.

Vnde tria hæc in sepulturis Christianorũ consideranda veniunt, quod sepeliantur supini, vultu ad cœlum, & conuersi ad orientem. Vnde similiter tria significata habentur, ideo supini sepeliuntur, quia mors illorũ proprie non est mors, sed breuis quidam somnus, vt de mortuo Lazaro, & de filia Archi Synagogi dixit *Saluator noster* Ideo vultu ad cœlum, ad significand. quod solo in cœlo spes illorum fundata sit, & postea versus orientem, argumento sperandæ & exoptatæ resurrectionis. *F. Innocentius Cybus de sepolcri dialogo 2.*

CAP.

CAP. XIX.

De principum funeribus & sepulturis.

MOs antiquorum erat cadauera principum in frondosis arboribus, præsertim quercinis, tanquã sacris locis numinibus consecratis, suspendere, aut flammis iuniperini ligni comburere, vel certis monticulis, grandib. saxis, vel quadrato vel rotundo ordine, circumseptis humi, cum gladio & claua recludere, quemadmodum *Saxo. lib. 8. de victo & mortuo Danorũ rege Heraldo, meminit*, cui victor rex Suediæ, Ringó fastuosissimum adhibuit funeris cultum. Hæc etenim pietatis conditio est, vt victum victor, inferiis prosequatur, & qui defuncto hosti teste *eod. Sax lib. 3.* iusta persoluerit, superstitis sibi fauorem adsciscit, viuumque beneficio vincit, quisquis extincto studium humanitatis impendit. *Olaus Magnus lib. 16.*

CAP. XX.

De concrematione cadauerum.

ROmæ in Campo Martio clari viri mortui cremabantur, vt Sylla, Hircius, Pansa. Item Impp. qui rogo extructo, certis quibusdam ritibus & ceremoniis referebantur in Deos, quam rem pulcerrima narratione exponit in vita Antonini *Herodianus*. Si qui autem ex Imp. *S. P. Q. Romano* probati non essent, eorum reliquiæ non deferebantur in Campum, sed tracta corpora præcipitabantur in Tyberim, vt Vitellio, & Vario accidit, & de Commodo decretum fuit.

CAP. XXI.

De sepultura Parthorum Chelonophagorum, Nabathæorum, Magorum Hyrcanorum.

EX *Cic. in Tuscul.* Parthorum inquit, Iustinus, sepultura aut auium, aut canum laniatus est: nuda demum ossa terra obruunt. ¶ *Chelonophagi* mortuos pi-

scibus

*bus edendos proiiciunt. ¶ Nabathæi etiam reges in sterquiliniis sepeliunt. ¶ Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi à feris antea laniata. ¶ In *Hyrcania* plebs publicos alit canes: optimates domesticos, & pro sua quisque facultate parat, à quibus lanietur, eamque optimam illi censent sepulturam: *Pius in de secunda Asia part. c. 30 Domit. Brusson. lib. 4. c. 10.*

CAP. XXII.

De Aegyptiorum sepultura.

VT refert *Heredot. in Euterpe c. 13.* Ægyptii condiunt cadauera sale per 70. dies, præcipuorũ autem fœminæ, & etiam mulieres pulcræ, & formosæ non statim à morte condiendæ locantur, sed demum post tres aut quatuor dies conditoribus dantur; eam ob causam ne salinatores cum mortuis libidinose misceantur. Fama enim apud eos est, aliquando quempiam cum mortua carnaliter semiscuisse, quod socius eius in vulgus sparsit.

CAP. XXIII.

De more Aegyptiorum.

ÆGyptiis mos erat, defunctorum abdomen, & ilia euellere, & in aprico dissecare, siue expiationis causa, siue vt propter delicta libidinum in vita commissa defunctum plecterent. *Spineus de tranquill. animi lib. 3. pag. 284.*

CAP. XXIV.

De sepultura Germanorum.

GErmani olim heroas & insignes viros in aperto campo sepulturæ mandare solebant cum armis; non procul à via, & terra, vt instar monticuli vel collis esset premebant vt hinc inde videre est, *teste Cyriaco Spangenbergito in Chronico Mansfeldens. c. 5.*

CAP.

CAP. XXV.

De sepulcris Maurorum.

VT refert *Herodotus in Thalia c. 6. Maurorum* sepulcra ex vitro conficiuntur hoc modo: postquam mortuum more Ægyptiorum sale & pharmacis condiissent, obducunt eum totum gypso. Deinde formam ipsius, prout rite fieri potest, super gypso pingi curant, quo facto, faciunt ipsi sandapilam ex vitro, quod apud ipsos plurimum è terra effoditur, per hanc vitream sandapilā translucet cadauer, vt ab hominib. conspici queat, nullum de se spargens odorem. Quum positum est in vitream sandapilam, à propinquis, per annum in domo retinetur, quo ipsi vigilias celebrant.

CAP. XXVI.

De Laniatis à crocodilis.

SI Ægyptius siue peregrinus à crocodilis laniatus fuerit, aut in aquis suffocatus repertus, incolæ istius loci, propter quem inuentus, condiunt eum, riteque inuoluunt, & in sactum bustum ponunt. Talem nemo alius attingere debet, quamuis mortui propinquus, sed *sacerdotes Nili* attingunt eum quasi maiorem alio homine mortuo, manibus suis, & cadauer terræ mandant. *Herod. in Euterpe c. 19.*

CAP. XXVII.

De deuoratis à crocodilis.

ÆGyptii quondam Crocodilum adorarunt, & festos ei dies instituere. & si quandoque infantem deglutiisset, parentes lætabantur, putantes se eo feliciores, quod Deo suo nati essent in cibum. *Conr. Lycosthenes lib. 1. Mirac p. 28.*

CAP. XXVIII.

De variis simulacris in sepulcris vrbis Romæ exsculptis.

IN sepulcris, quæ hinc inde per vrbem, multis locis occurrunt, varia rerum simulacra sunt exsculpta. ¶ Ludorum curulium quale est ante *SS Cosmum & Damianum in foro Romano & in S. Ioanne Laterano*, in quo etiã nocentes obiiciuntur bestiis, vt in alio quodam, ante S. *Mariam* in via lata. ¶ Equestrium certaminum vt in *S. Maria in Ara cœli* montis *Capitolini.* ¶ Pugnarum vt in *S. Georgio* montis cœli. ¶ *Venationum vt in S. Laurentio* in Lucina *campi Martii.* ¶ Triumphorum vt ante S. *Laurentium in Panisperna montis* Viminalis : ¶ & Triumphi Venerei in S. *Ioanne Laurano.* ¶ Sacrificiorum vt in S. Maria de strada inter Octauii porticum, & Capitolium, & in S Laurentio extra Esquilinam ¶ Deorum *Ludentium:* vt Apollinis canentis & Narcissi, iaculantis discum, in domo Augustini Maphæi ¶ Satyrorum puellæ dormienti insultantium in horto S. Marci : ¶ *Amorum* equitantium in domo Columnensium ¶ Deorum marinorum in piscium caudos desinentium, & vehentium in eis Nymphas tribus in locis in S. *Ioanne Paulo in Cœlio in hortis S. Sabinæ montis Auentini* ante *S. Thomam in regione Harenulæ.* ¶ Plutonis Proserpinã rapientis in S. Syluestro prope arcum Domitiani, & ante S Mariam in cosmedim prope velabrum. ¶ Ventorum quatuor simulacra, in sepulcro domus Cæsiæ. Laborum Herculis, in domo Sabellorum supra Marcelli theatrum. ¶ Seruilium suppliciorum, in quibus alii pede vtroque suspenduntur, aliis culmo secatur collum, aliis brachium saxo impositum, alio saxo frangitur in S. Maria in Ara cœli, & ante ædem S. Stephani, de cacabo in regione pineæ. ¶ In quibusdam sepulcris exsculpta sunt ædificia, partim ianuis apertis, quibus dicunt animæ æternitatem significari, cuiusmodi est in Palatio Capitolino Triumuirum, partim clausis, qua interitus eius, vna cum corpore notatur, tale in domo ciuis cuiusdam

iusdam regionis Transtyberinæ cernitur, è regione pontis Fabricii *Georgius Fabricius in Roma p. mihi 202. 203.*

CAP. XXIX.

De Vrnis mortuorum.

VEteres Romani, ad mortuorum & concrematorum cineres reponēdos, vrnis vsos legimus, cuiusmodi antiqua monumenta passim in Italia reperies, *Baysius de vasculis c. vascula vinaria de* quo ritu Scholiast. Homeri Iliad. Δ. οἱ Αρχαῖοι inquit τὰ σώματα ἐκάιδαπτον ἐπὶ γλῶ εἰ μὴ πρότερον ἐκαύσαν εἶθ' ὕτως τὴν τέφραν σὺν τοῖς ὀςέοις ἐχῶν νῦν ἐν ἀργείῳ τινι ἀποδέμενοι Hinc Thallus in Epigrammate, quod extat lib. 3 antholog. Tit. εἰς ἀγαθὰς ἄνδρας.

—λείψανα δ' αἲ αἲ

ἔδρακες ἐν βαιῇ κάλπι δ' κευδόμενα

Et Herodianus lib. 2. Κάλπιν φέροντες ἐνθα τὰ πᾶ Σεβὴ ρυ λείψανα. Proprio tamen nomine, hæ vrnulæ ossuaria dicebantur, Græcis ὀςοθῆκοι vel ὀςοδυχεῖα. Vetus inscriptio *Iulia Fuscinia Ossuarium Viua sibi Fecit.* Meminit & huius vocis *Vlpianus in l 2 D. de sepulcro violato vid Cuiac. 10. obseru 37. in fin. ad. l. 1. in fin. D De cadauer. punit.* Et in alia inscriptione etiam *Cineraria* dici reperitur: Vnde & Cinerarii, qui Cineraria & reliquias martyrum honorabant, apud D. Hieronymum in Epist. quadam ad Repuariū: Ais vigilantium os fœtidum, rursus aperire, & putorem spurcissimum, contra sanctorum proferre reliquias, & nos qui eas suscipimus, appellare *Cinerarios* & Idololatras, qui mortuorum ossa hominum veneremur. Inscriptio Vrnam continens, est *Atellis in Campania.*

Actilii Rufi & Vxoris.

Pub. Actilio Rufo & Actilia Beronica vxori vixere annos XXIV. sed Pub. mens. X. ante natus est eodem hora

O fungo-

fungorum esu ambo mortui sunt, ille acu ista lanificio vitam agebant, nec ex eorum bonis plus inuentum est, quam quod sufficeret ad emendam pyram & picem quibus corpora cremarentur & præfica conducta & verna emta atque indulgentia pontificum locus datus est.

Vrnæ hæ, prò cuiuscunque conditione, & facultatibus, erant vel viles, vel pretiosæ, nam virorum illustrium ossa aureis vrnis fuisse condita, testatur *Homer. Iliad Ψ idem, Iliad. Ω. Moschus Idyll. 4. Æl. Spartianus de Seuero. Eutropius de Traiano Imp. lib* 8. de vrna Argentea *Ammian. Marcell. lib. XIX* post incensum corpus, ossaque in argenteam vrnam coniecta &c. Vrnæ æneæ meminit *Virgil. lib 6. Aneid.*

Ossaque lecta cado texit Corinæus aheno.

Vrnæ Marmoreæ meminit *Xiphilinus* in Seuero. Fictilium Vrnarum meminit Propertius lib. 2. eleg. 11.

Deinde vbi suppositus cinerem me fecerit ardor
Accipiat manes paruula testa meos

Atque sic reliquiæ cremati cadaueris condebantur.

CAP. XXX.

De consuetudine Frisonum quoad occisos.

AB antiquissimo tempore, in consuetudinem immanissimam hæc habebant Frisones: vt occiso homine vnius cognationis ab altera, occisum corpus non sepeliebatur à suis, sed suspensum in loculo seruabatur, & desiccabatur in domo, quousque ex cognatione contraria, in vindictã occisi plures, vel saltem vnum aduersa cognatio pro morte vicaria trucidaret, & tunc primũ mortuum suum sepulturæ debitæ, cum magna solemnitate tradebat. Hunc crudelissimum, & inauditum morem *Fr. Dodo. Friso.* qui verbi Dei prædicatione in gente sua plurimum profecit, remouit & ad mitiorem statum crebra exhortatione promouit. *Thom. Cantiprat. lib. 2. mirac. c. 1. §. 15.*

CAP. XXXI.

De vestitu mortuorum.

APud Italos, more hodierno vsitatum est, & olim fuit cadauera defunctorum pretiosissimis vestibus induta, & lectis splendide exornatis imposita palam publice efferre, ita vt vnusquisque defuncti faciem, & ex vestibus & ornatu sexum, noscere possit. Hoc etiam apud Græcos Impp. vsitatum fuisse, ex Pomponio Læto apparet, vbi dicit: Quum defunctæ Fabiæ coniugis Heraclii funus efferretur, puellam sorte quadam per fenestram spuisse, tetigisseque elatum cadauer: ideoque illam nulla facta mora, comprehensam, & rogo Fabiæ impositam, viuam exustam. Non raro autem Itali solent faciem fucare, præsertim fœminarum & puellarũ, vt mortuæ interd. venustiores appareant, quam viuentes, ita vt non cadauera, sed statuæ videantur: Verum quando cadauera ipsa ruina ædium detrita, vel alio casu mutila propter deformitatem publice oculis exposita efferri non potuerunt, loco eorum, vel laruæ quædam; quæ eorum faciem repræsentabant, vel plane inuoluta, & vestibus tecta quæ dicebantur *Funera Laruata:* Sic Plinius refert, Scipionem Æmylianum obuoluto capite elatum, ne liuor, vel tumor in ore appareret *Laruati funeris* monumentum Romæ adhuc conspicitur. *Aspice viator Q. ser. Tulli & Dulcicula spon. mea Rancilia virg. simul ac post inde quid faciat licentiosa sors legito. In ipsa florida ætate cum acrior vis amor ingruer. mutuo captand Socero t. & m. Socr. annuentibus solenni Hymen. nupt. copulamur. Sed ô fatum infelix nocte pri. cum impert. voluptatis ex L. fat. extinguere & D. M. V. vot a cogeremur reddere, heu ipso in actu Dom. Maritalis corruens ambos iam extrem. cum dulcitudine latiss. complicatos oppressit. Funestus sopor nec noui quid fecisse puta non erat in fatis tum nostra longior hora, Cari parentes luctu nec lacrimis misera ac laruata nostra defleatis funera ne reddatis infeliciora. at vos vestros diuturniores viuite annos. Optime lector ac viue tuos.*

CAP. XXXII.

De colore vestitus mortuorum.

ROmanorum communis per totam adeo Italiam amictus fuit toga. *Iuuenal Satyr 3. Pars magna Italia, si verum admittimus, in qua Nemo togam sumit nisi mortuus. Et Martialis lib. 9. Epigram. 58 Et pallens toga mortua tribulis Apuleius lib 1 florid.* Nam illic quoque viderat hominem præsidere, hominemque depugnare, togam quoque parari & voto & funeri: item pallio cadavera operiri, & philosophos. *Paulus ICtus in L. 19. D. de in rem verso.* Filii familias togam emit, mortuo deinde eo pater ignorans, & putans suam esse dedicauit eam in funus eius. Verum toga illa fuit varia, pro conditione mortuorum. Nam in vulgo ciuium & tacito funere, vulgaris toga, quæ Alba erat, vsurpata fuit, vt existimat *Kirchmannus de funerib. Rom. lib* 1 *c* 10. Et ideo Plutarchus in problem. inter alias causas, cur fœminæ in luctu vtantur albis vestibus, etiam hanc ponit, quod ipse mortuus sit huiuscemodi veste indutus: Τὸ σῶμα, inquit, τοῦ τεθνηκότος ἀμφιεννύουσι λευκοῖς & *Artemidorus lib. 2. c. 3.* Ἀνδρὶ νοσοῦντι λευκὰ ἔχειν ἱμάτια θάνατον προαγορεύει. Διὰ τὸ τοὺς ἀποθανόντας ἐν λευκοῖς ἐκφέρεσθαι, hoc est, viro ægrotanti albas habere vestes, mortem denotat. Propterea quod mortui in albis vestibus efferuntur. Ritus hicce & Græcis fuit *Homerus Iliad* Σ *de Patrocli funere.*

Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν.

In lectum autem imponentes linteo subtili texerunt,
Ad pedes à capite: desuper autem alba veste.

Pauperes tamen, & tenuioris fortunæ homines, non videntur elati in albis, vt idem monet *Artemidorus*: Noui ego, inquit, multos, & pauperes, & vinctos ægrotantes, qui etiam cum viderentur sibi nigra habere vestimenta, mortui sunt, verisimile enim erat, hos non in albis propter inopiam efferendos esse. Idem mos, vt in albis vestiantur, & apud nos viget, & obseruatur, color

enim

enim albus, puritatem & innocentiam significat, vt not. *Sicillus Fecialis Alphonsi regis Arragonia in libell. Gallico. cui tit. Le blason des couleurs & armes &c p. mihi 8.*

CAP. XXXIII.

Quare mortui lugentur habitu nigro?

MOrtui mutata veste lugentur. In publico luctu magistratus, atque adeo totus pop. quicquid ad ornamenta pertinebat, solebat deponere, ac solitum suum cultum viliori aliquo interd. permutare Sed & mulieres volebant ornamenta sua deponere, nec aurum, vel purpuram in luctu gestare, more tam in Græcia, quā Romæ vsitato. Terent. in Heautont.

Mediocriter vestitam veste lugubri. Eius anus causa opinor, qua erat mortua. Sine auro tamen ornatam, ita vti qua ornantur sibi.

Ouid. *Metamorph.* lib. 8. de Althea

Qua plangore dato mæstis clamoribus vrbem
Implet & auratis mutauit vestibus atras.

Erant autem hæ vestes funebres siue Lugubria nigri coloris: qui color, semper pro luctus inditio habitus; vti contra albus, pro signo lætitiæ, quod indicat *Astramphygus.*

Λευκὴν στολὴν κάλλιστον ἐν ὕπνῳ φέρειν,
Στολὴν φορεῖν μέλεναν οὐ καλὴ θεὰ, h. e.

Omen bonum in somno est amictus candidus
Gestare amictum atrum haud bonum spectaculum.

Vnde *Festus*, Niger lapis, in comitio locum funestum significat, vt alii Romuli morti destinatum, & vt notat *Sicillus D. lib. Le blason des couleurs p. 15.* niger color, in insignibus dicitur *sabulum & significat* tristitiam, & ideo pertinet ad dolentes, & humiliatos. eamq; ob caussam induunt religiosi plerique. Repræsentat idem color humorem melancholicum, & sæpius in sacra scriptura nigrum denotat dolorem, & tribulationē. In virtutibus mundanis simplicitatem. In ætatibus hominis

senium p. 21. In diebus Septimanæ notat diem Veneris tristem ob abstinentiam carnis. In temporibus anni, notat hyemem. Niger color nobis monstrat recordationem, & memoriam, quod facti fuerimus de terra. Ideoque humiles, & quod reuertamur in terram, ideoque portare poterunt nigrum colorem omnis generis status, monachi, moniales, mercatores, fœminæ, ministri iustitiæ, & presbyteri &c. In mensib. notat mensem Decembr. p. 48. Lugentium igitur vestes nigras fuisse, & esse debere constat. & vocabatur *Toga pulla siue atra vel prætexta pulla*. Cic. in Vatinium. Quis vnquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnauit, cum toga pulla cui de balneis exeunti præter te pulla data est? Vnde pullati & atrati dicti Cic. eod loc. Quæro quis vnquam cœnauit atratus? Græci vocant μελανομειμένους *Bud. in reliq. annot. Pandect. Baysius de re vestiaria c. 6. de vestimentis externis.*

CAP. XXXIV.

De exequiis antiquorum & ipsorum ceremoniis.

VTebantur antiquitus Romani duobus modis sepeliendi mortuos. Primus erat mandare terræ, eaque cooperire, alter comburere corpora. Verum iste non diu durauit. Et primus ex senatoribus qui fuit combustus, post mortem fuit Sylla. *Et Numa Pompilius* fuit inuentor exequiarum, & instituit Pontificem, qui haberet curam earum. Et primus honor, quem faciebant in exequiis hominum illustrium, erat laudare oratione, vt fecit Cœsar ætatis suæ anno 12. in exequiis aui sui, & Tyberius anno 9 in patris sui. Secundus erat, facere ludos Gladiatorios: & Marcus & Decius filii Iunii Bruti fuere primi, qui fecere in honorem patris. Tertius erat conuiuium sumtuosissimum. Quartus dispensabantur toti plebi carnes, & primi dispensatores fuere curatores exequiarum P. Licinii ditissimi & plurimum honorati ciuis. Solebant etiam post exequias spargere super sepul-

sepulcrum varios flores, & odores, vt fecit pop. Rom. Scipioni. Ponebant etiam in templis, & locis publicis certa ornamenta, vti erant scuta, coronæ & similia, & ii qui cum tali pompa non sepeliebantur, quia sumtus erant nimis prægrandes, sepeliebantur sub vesperi, à certis ad id deputatis dictis Vespillonibus: mittebant mortuum ad sepulcrum, vestitu candido, & proximus eius obserabat oculos, & paulo post aperiebat cameram, & intrabat tota familia eius, & vicinia & tres vel quatuor alta voce ter nominabant ipsum nomine, postea lauabant aqua calida, & hæres verrebat totam domum certis scopis, ad id factis, & affigebant ianuæ ramos cupressi, & si mortuus erat vir autoritatis, invitabantur ciues ad exequias, ab vno ad id designato. Et fœminæ mortuæ vestiebantur vestibus albis. Et quando moriebatur vidua, & quæ vnum solum habuerat maritum, efferebatur ad sepulturam cum corona pudicitiæ in capite, vt docte collegit *M Andreas Palladius in libello volgari lingua Italica Antichita di Roma* (quem Romæ agens latinitate donaui) *cap. 79. de exequiis antiq.*

CAP. XXXV.

De Ludis funebribus Rom.

ROmani ludos in funebribus præbere soliti fuere. De causa & origine illorum, *Tertullianus de Spectac. de munere*: Olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captiuos vel malo ingenio seruos mercati in exsequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque, quos parauerant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantum vt occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Hæc muneris origo. *Seruius lib. 10. Æneid.* Moris erat, inquit, in sepulcris virorum fortium captiuos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui à Busti cineribus *Bustuarii* dicti. Et hi ludi postea dati in priuatorum funeribus, & in testamentis. hinc *Sceuola in l. 21. §. 3. D. de annuis leg. Lucius Titius*

testamento patriæ suæ ciuitatis Sebastianorum centum legauit, vti alternis annis ex vsuris eiusdem certamina, sub nomine ipsius celebrarentur, & *Modestin. in l.16. D. de vsu & vsufr. &c.* Legatum ciuitati relictum est, vt ex red tibus, quotannis in ea ciuitate memoriæ conseruandæ defuncti gratia, spectaculum celebretur. Et eo vsque mos iste inuasit, vt ditiori aliquo mortuo, populus munus efflagitaret, velut debitum, & ex præscripto legis. Exemplum in Suetonio *c.37.* Quum Pollentina plebs, funus cuiusdam primipilaris, non prius ex foro misisset, quam extorta pecunia per vim hæredibus ad gladiatorum munus, Tyberius cohortem ab arce & aliam, à Coti regno dissimulata itineris causa detectis repente armis, concinentibusque signis per diuersas portas in oppidum immisit, ac partem maiorem plebis, ac decurionum in perpetua vincula coniecit. vid. *Kirchmann. de funerib. Rom. lib. 4. c. 8 & 9.* De ludis in excubiis defunctorum exemplum *refert Thomas Cantipratanus lib. 2. c. 49. §. 23. Boni vniuersalis.*

CAP. XXXVI.

De ferali cœna.

APud Romanos, in funere alicuius principis viri, & insignis dabatur publicum epulum, seu potius visceratio, vt obseruatur ex Iurisconsulto *in l. ad munus. C. de leg. 3.* vbi habetur, *vel si epulum relictum fuerit. Liuius lib. 8.* tradit viscerationem populi datam à M. Flauio in funere matris. Et *lib. 39. inquit.* P. Licinii funeris causa, visceratio data est, Et *lib. 11.* munus insigne fuit T Flaminii quod mortis causa patris sui cum visceratione & ludis scenicis, dedit quatriduum. *Plin. de vir. illust. c. 32. ita scribit:* Mortuo huic tantum æris pop. liberalitate congestum, vt inde felicius viscerationem & epulas publice daret. Viscerationis seu funebris epuli, meminere *Dionys. Halycarn. lib. 5. Tertull. in libr. aduers. iud. & Gentil & Cic. lib. 2. de off. & clarius in orat. pro Flacco* vbi inquit, sepulcrum L. Catalinæ multorum conuentu, epulisq; celebratum. Dabantur & *Cœna* propinquis, & amicis

amicis ab exteris quibusdam, puta Massiliensibus ex *Val. Max. lib. 2. c. 1.* & Athenis per funeris præfectos conuiuium, apud defuncti magis necessarium dari consueuerat, propinquis & illis qui funus associauerant, quem morem & in compluribus Italiæ locis obseruari testatur *Pontanus de magnificentia c. 15.* quo & Romanos quoque vsos existimand. quum apud Iuuenalem legamus Satyr 5.

Ponitur exigua feralis cœna patella.

Vbi interpretes per feralem cœnam funeralem interpretantur, ab aliis exequialem dictam, de qua etiam Apuleius lib. 4. Floridorum verba facit, & clarius *Persius Satyr. 3.*

-- -- Sed cœnam funeris heres

Negligit iratus, quod rem curtaueris.

Hanc quoque vocatam *Silicernium* obseruamus, ex Verr. in *Melegne* apud Nonium Marcellum. Quamuis Donatus enarrans illud Terentii in Adelph. de sene,

I Sane ego te exercebo hodie, vt dignus es silicernium.

interpretatur *Silicernium* esse cœnam, quæ infertur diis manibus, quod ea silentes cernant vmbræ, & *Festus Pompeius lib. 17.* inquit, id fuisse genus farciminis, quo familia in luctu à fletu purgatur, cuius atque illud Cæcilii.

Credit me Silicernium eius esse.

Fulgentius vero in vocum antiquarum interpretatione, ad Calcidium scribit, Silicernios vocari senes iam incuruos, quasi sepulcrorum suorum silices aspicientes. Vnde & Cincius Alimetus in historia de Gorgia Leontino ait: Quidam iam Silicernius sui finem temporis expectat, si mori non potuit, tamen infirmitatibus exultat *Marcell. Donatus in Suet. Tranq. in August. c. 35. vers. seruauitque etiam.*

CAP. XXXVII.

De anteambulonibus feralibus.

IN Æde Libitinæ, vbi quæ ad funus & sepulturam pertinebant, condi & locari consueuere, plures erant mi-

nistri, *Libitinarii* omnes dicti, licet officio inter se discrepantes. In eorum albo describendi choraules monumētarii, i. e. tibicines, ad defunctorum sepulcra canentes, quos & siticinas vocarunt, *teste Gellio lib. 20. c. 2. Budæus in annot. in Pand. Codonophoros*, hoc est, tintinnabula gestantes, & anteambulones atratos, seu ferales præcones vocat, *refert Marcell. Donatus in Suet Tranq. in Nerone c. 39 vers accesserunt tantis.*

CAP. XXXVIII.

De gladiatoribus, mulieribus, Latronibus bustuariis.

A Busto gladiatores *bustuarii* dicti, qui ante mortuorum sepulcra pugnabant, & digladiabantur. Ita & mulieres bustuarias Τυμβάδας nominat Hesychius, quæ in mortuorum monumentis versentur. Sic *Martial. lib. 3.* Epigram 51. scripsit:

Admittat inter bustarias mœchas.

Hoc est scorta vulgaria & vilia, quæ inter busta, & monumenta prostituantur, de quibus rursus lib. 1. Epigram. 91. dixit

Abscondunt spurcas & monumenta lupas.

Sic Amm. Marcellinus lib. 28. Leonem Notarium, bustuarium latronem appellat, quasi diceret etiam ex sepulcris furta abstrahens.

CAP. XXXIX.

De sacrificio porcæ in funere.

IN funere defunctis cæsam porcam, M. Victorianus in hæc verba scriptum reliquit: Qui iusta defuncto non fecerint, aut in faciendo peccauerint, iis porca contrahitur, quæ omnibus annis immolari oporteat. Hinc *Cic. 2. de legibus.* Sunt iura, quæ in porca contracta, *Marcell. Donatus in dilucid in Tit. Liu. lib. 1. vers. porcam saxo silice percussit.*

CAP.

CAP. XL.

De purgatione funeris apud Rom. quæ fiebat aqua & igne.

IGnis & aquæ vim cognitam cum haberent Romani, funus de more persecuti, & eo q. polluti, ignis & aquę purgatione, expiationeque vtebantur: siquidem, vt Festus ait, ignem supergrediebantur, aqua aspersi quod purgationis genus suffitionem nuncupabant.

CAP. XLI.

De Kalendis Ianuarii.

KAlendas Ianuarias diem festum ac religiosum fuisse, nec non & solemnem strenis dandis testatur *Suetonius in Augusto. c. 1. & in Tiber. c. 33. & in Caligul. c. 42 & Dio. Caß. lib. 57.* Et Kalendas Ianuarias supplicio funestare nefas erat, testimonio *Macrobii lib. 1 c 10* Vnde Suetonius Tiberii Imp. sæuitiem detestatus, *c. 16.* in illo tradit ineunte anno nouo, animaduersum in quosdam.

CAP. XLII.

De immolatione columbarum ad sepulcra mortuorum.

IVris Græco Rom. lib. quinto, damnantur sacerdotes, qui ritu gentili columbas immolabant ad sepulcra mortuorum. *Beda in pœnitentiali c. 7.* persimile aliquid prodit, de his, qui Dæmonibus immolant. Theodori Episcopi constitutiones habemus, in quibus scriptum est: Qui immolant dæmoniis, in minimis, anno vno pœniteant, qui vero in magnis, decē annos pœniteant, referunt id *Burchardus lib. 10. c. 23. Iuo. part. 2. c. 39.*

CAP. XLIII.

Quare cupressus funeribus & luctui adhibita?

ADhibebantur olim ad funera cupressus, vel quod cęsa non regerminat, vel quod per eam funestata osten-

ostenditur domus, sicut lætam frondes indicant festa. Varro tamen dicit, pyras ideo cupresso circumdari propter graue vstrinæ odorem, ne eo offendatur pop. circumstantis corona, quæ tam diu stabat, respondens fletus præficæ, id est, planctuum principi, quam diu consumto cadauere, & collectis cineribus dicebat nouissimum verbum *Ilicet. Seruius lib. 6 Æneid.* de Cupresso *Plinius lib. 16 c. 33.* Diti sacra, & ideo funebri signo ad domos posita. *Festus,* Cupressus, ait mortuorum domibus ponebatur, ideo quia huius generis arbor excisa non renascitur, sicut ex mortuo iam nihil sperandum est, quam ob causam in tutela Ditis patris esse putatur. *Spondæus in libello les cimitieres sacrer c. 1. p. 5.*

CAP. XLIV.

De pinu, siue picea domus funestæ indicio.

EAdem omnino ratio fuit de picea, quæ ipsa etiam resecto vertice intermoritur. *Plin. lib. 16 c 10.* Picea montes amat, atque frigora: feralis arbor, & funebri inditio ad fores posita, ac rogis virens. Atque hæ sunt causæ, quibus Romani naturam arborum huiusmodi proprius intuiti, illas funebri signo ad domos funestas proponere censuerunt Græci vero magis ad fabulas originem huius ritus deuoluere, de quibus *Kirchmannus de funerib. Rom. lib. 2 c. 14. Spondæus in prædicto loco.*

CAP. XLV.

De Apio tumulorum thecis imposito.

VT refert *Nicol. Leonicus de varia hist. lib. 1. c. 24.* Antiquorum in conuiuiis fuerat mos, vt omnib. fere coronamentorum generibus in symposiorum licentia vterentur, & ex omnibus passim herbis, floribusque serta necterent præterquam ex Apio. Hoc autem ideo, vt inquit, Duris Samius, in iis quos de certaminib. scripsit commentariis, quoniam lugubre est Apium, luctibusque magis, quam hilaritati conueniat. Quamobrem tumulorum thecas, (vt aiunt) antequam in illis mor-

tuo

tuorum corpora imponerent, Apii foliis sternere consueuerunt. Suidas

Σελίνου στέφανος πένθιμός ἐστι:

Τὸ γὰρ σέλινον πένθεσι προσήκει.

Corona ex Apio lugubris est: Apium enim luctibus conuenit. *Plutarchus* refert Timoleonti, contra Carthaginenses pugnaturo, obuiam factos mulos, apium ferentes, idque à militibus pro infelici augurio habitum esse, quod Apii coronis sepulcra ornare receptum sit, vnde & prouerbium natum: *Apio egere*, qui periculose ægrotet. Apii meminit *Plinius lib 20.c.11.* Chrysippus & Dionysius dicunt neutrum Apium ad cibos admittend. imo omnino nefas, nam id defunctorum epulis dicatum esse. *Arnobius lib.5.* contra gentes. Obliuioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur, frater trucidatus à fratribus interemti ex sanguine Apium natum, prohibitum mensis olus illud apponi, ne à manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio.

CAP. XLVI.

De imaginibus in funeribus circumferri solitis.

HOrat. Funus atque imagines ducunt triumphales, vbi interpres *Porphyrius:* In funere nobilissimis quibusque solebant præferri imagines maiorum, quod obseruari videmus in funeribus principum. Ritus huius meminere *Cic. 2. orat.* Brute quid sedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus quorũ imagines duci vides? quid maioribus tuis? *Valerius Maximus lib.8.c.15.* Africanus imaginem in cella Iouis Opt. Max. positam habet: quæ quotiescunque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur. *Epit. Liuii 48. de Lepido.* præcipit filiis lecto sestrato sine linteis, sine purpura efferrent: Imaginum specie non sumtibus nobilitari maximorum virorum funera solere. Erant autem imagines hæ, expresse corporis effigies, humerorũ tenus è cera, cõsolationis ergo asseruatæ c.11.

Omni-

Omnino fingendarum similitudinum ratio idcirco ab omnibus inuenta est, vt posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerunt separati. Huiusmodi imaginibus atria sua nobiles Romani exornabant, collocando eas ordine in ligneis quibusdam thecis, vel armariis, vnde exequiarum tempore depromebantur, *vt testatur Plinius lib. 35. c. 11.*

CAP. XLVII.

Quare mortuis faces præferuntur?

AB antiquo more efferendi mortuos noctu, quem ex diurno nocturnum voluit esse *Imp. Iulianus in veter. C. Theodo. tit. 17. de sepulc. viol. l. 5 ratio*, ibi in fin. vt dolor esse in funeribus, non pompa exequiarum nec ostentatio videatur, permansit postea consuetudo vt in omnib. funeribus, etiam quæ interdiu ducebantur, faces, candelæ, funalia, & cerei adhiberentur. *Seruius lib. 6. Æneid.* per noctem autem vrebantur, vnde permansit, vt mortuos faces antecedant. Hinc Virgilius in funere Pallantis:

---- Lucet via longo
Ordine flammarum & late discriminat agros.

Persius Satyr. 3. Hinc tuba candela &c. D. Ambrosius in de viduitate: Vel cum accensis funalibus mox ducitur, nonne pompa funebris exsequias magis putat, quam thalamum præparari? Hunc ritum efferendi cum facibus funera, retinuit prisca Ecclesia, respiciens tamen ad alium finem, quem D. *Chrysostomus* annotauit homil. 4. ad Hebræos: εἰπὲ γάρ μοί τι βούλονται αἱ λαμπάδες αἱ φαιδραὶ οὐχ ὡς ἀθλητὰς αὐτοὺς (τοὺς τεθνηκότας ἢ νεκρούς) προπέμπομεν, vult dicere lampades in exsequiis Christianorum ideo accendi, & funeri præportari, vt significent defunctos deduci tanquam athletas quosdam, qui deuicto seculo ad supremum illum βραβευτὴν, ac designatorem pergant, coronas ac præmia accepturi strenue pugnatarum pugnarum. Vel vt anteactam vitam demonstrent, tum & fragilitatem humanæ

vitæ:

vitæ: Vnde à Ioanne præfiguratum: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris. Baronius in thesaur. antiq. Eccles. Tom. 3. c. 228.* de funere Constantini. Hic inquit milites arreptum cadauer aurea capsula includunt, & vndique purpurea veste contectum, Constantinopolim producunt. Ibi tum in omnium magnificentissimis Imperatoriis ædibus, celso atq; edito loco deponunt: Luminibusq; circa funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant, & sane huiusmodi, quale nunquam in terris vllum à condito mundo, sub sole visum est &c. Idem *Tom. 1. c. 119.* Accensis cereis, cantu prosequi pompam funeris, apud Christianos antiquo vsu receptum esse, multis habetur testatum exemplis, vt quod habet *Pontius Diaconus de funere S. Cypriani Martyris his verbis.* Inde cum cereis & scolaribus, in area cuiusdam conditi procuratoris, magno triumpho sepultum est &c. *Gregorius Nazian. in laudem Cæsarii, orat.* At nunc nobis egregius ille Cæsarius seruatus est, ciuis pretiosus, laudabile cadauer, ac cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebriq; pompa ad martyrum sedes effertur, sanctisque parentum manibus honoratur, matre accensas faces gestante &c. *Gregor. Nisse. in funere Miletii.* Quomodo vtrinque quasi ignei amnes continentibus facibus, tractu continuo perpetuoque fluentes, quoad oculi longissime prospicere possent, porrigebantur &c. Ad defuncti quoque sepulcrum oleum accensum *Athanasius* probat. defunctos incenso thure etiam honorari, consueuisse, idque prætermisisse, piaculum grande existimatum esse, satis declarant *acta SS. synodi Chalcedonensis Act. 1. & Henricus Spondeus in suo libello les cimitieres sacrer c. 1. p. 15.* Cerei accenduntur, inquit, non propter superstitionem paganicam, verum in hanc rationem, quod defuncti iam sint infantes lucis, & quod sicut ignis est signum vitæ, ita animæ illorũ viuunt ad recipiend. sua corpora, in die resurrectionis. Antiquos in funeribus & parentalibus tædis, facibus, & cereis accensis vsos, ex loco Suetonii in *Augusto. c. 98* facile probatur, vbi tradit Augustus

extriclinio vidisse Masgabe, ante annum defuncti, tumulum magna turba, multisque luminibus frequentari. *Seruius in Virg. 6. Æneid* enarrans illud in funere Miseni

Et subiectum more parentum Auersi tenuere facem.

ait ex Varrone, Funus dictum à fune, & à fune funalia dicuntur, id est, faces ex contortis funibus cero aut pice circumdatis, quod & erat maximi honoris indicium. His itaque cereis seu funalibus vtebantur antiqui in funeribus Virg. lib. 11. Æneid.

----Et de more vetusto
Funereas rapuere faces lucet via longò
Ordine flammarum.

Tacitus lib. 3 Annal. post princ. de funere Germanici, Dies, quo reliquias tumulo Augusti, modo per silentium vastus, modo ploratibus plena vrbis itinera comburentes, post campum Martium faces. Ad hæc vide Senecam extremo libro de breuitate vitæ & tranquillitate vitæ c. 11.

CAP. XLVIII.

De aqua lustrali ante fores ædium funestarum apud Græcos.

MOs etiam fuit, vt ad fores priuatarum ædium tantisper dum illæ funestæ essent, & dum fieret ἡ περίδειπνος eius, qui obierat, vas magnum statueretur aqua lustrali plenum, quæ esset è domo non funesta allata: qua aqua sese quisque ex eis aspergeret, qui exequias venerat, idque vas figlinum fuit, & Α᾽δράνιον proprie nuncupabatur: autor *Pollux lib. 8.* Aristophani dicitur ὄστρακον, καὶ παρὰ τοῦ στρακου περὶ τῆς θύρας Hesychio γάστρα duobus locis. Non dissimilis ritus apud Romanos *Festus.* Funus prosecuti redeuntes, ignē supergrediebantur, aqua aspersi: quod purgationis genus vocabant suffitionem. Fuit & apud Iudæos similium lauationum & purificationum vsus: quas autor

Eccle-

Ecclesiast.c.34 Βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκροῦ appellat *Isaacus Casaubonus amicus meus summus cum Parrisiis agerem in comment. ad character. Ethic. Theophrasti ad caput,* περὶ δεισιδαιμονίας.

CAP. XLIX.

De Capillo secto signo domus funestæ.

APud Moysen hac lege summus sacerdos alligatur: *Ne ad cadauera venito: ne pro patre quidem suo, aut matre se polluito.* At Apud Romanos Dialis flamen cui tam multæ cerimoniæ fuerunt impositæ. Locum enim in quo bustum esset, nunquam ingrediebatur. Mortuum nunquam attingebat, Funus tamen exequi non erat illi religio. *A. Gellius noct Attic.lib.10.c.15.* Lycurgi lege, vt Plutarchus ait, omnis huiuscemodi circa mortuos superstitio fuit Lacedemone sublata. Cæterum propter hanc causam institutum olim fuit, vt indicia apponerentur foribus funestæ domus; ne videlicet inscius aliquis ingrederetur, & se imprudens pollueret; de vase aquæ lustralis modo dictum. Eodem spectabant capilli de ipsius defuncti capite secti, qui foribus appendi soliti, Euripides Alceste

Πυλῶν πάροιθεν δ' οὐχ ὁρῶ
Πηγαῖον ὡς νομίζεται
Χέρνιβ' ἐπὶ φθιτῶν
Πύλαις: χαίτη τ' οὔτις ἐπὶ
Προθύροις τομαῖς,
Οἳ δὴ νεκύων πένθει πίτνει h.c.

Non video ante portam, vt lex est, fontana lauacra pro mortuis in porta. Nulla coma præcisa est in vestibulo: quæ accidunt in luctu mortuorum,

CAP. L.

De tonsura capilli & barbæ signo doloris.

DEtonsi capilli, & barbæ, in dolore & mœrore plura exempla habem⁹: apud Hebræos *in Iobi hist. c. 1.* legimus illum, audita filiorum clade, totondisse capillum *Hieremiæ c. 7.* habemus: Tonde capillum totum, & proiice in directum planctum. Et Micheas c. 1. decaluare & detondere super filios deliciarum tuarum, dilata caluitium tuum, sicut aquila, quoniam captiui ducti sunt ex te: *Esdræ 1. c. 9* Et euelli capillos capitis mei, & barbæ & sedi mœrens, & *Isaiæ c 15.* Moab vlulabit in omnibus capitibus eius caluitium & omnis barba radetur. Et *Ieremiæ 41.* venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri, rasi barba, scissis vestibus, & squalentes & eiusdem *c. 48.* omne caput caluitium, & omnis barba rasa erit, in cunctis manibus colligatio, & super omne dorsum cilicium. Ex quibus facile conuincitur, perperam Originem aduersari D Hieronymo, affirmanti *Iob. c. 1.* hunc morem fuisse lugentium, quem pariter apud Ethnicos obseruatum legimus. Plutarchus in vita Alexandri, & Arrianus de gestis eiusdem, & Ælianus de varia histor. lib 7. c. 8. scribunt, Alexandrum magnum mortuo Ephestione amico, inter cætera mœstitiæ signa iussisse equos, & mulos etiam tonderi, hoc idem à Persis factum mortuo MastisSio Herodot. lib. 9. scriptum reliquit. Plura exempla collegit *Marcell. Donat. in Sueton. in Cæs. c. 67. Alex. ab Alexandro Gen. dier. lib. 3. c. 7.*

CAP. LI.

De porta funesta in Luco Fanensi.

OLim mortuos in plerisque ciuitatibus sepeliri in vrbe fas non fuit. Romæ q. diserte legibus 12. Tab. vetitum. Fuit Athenis in Nonio Phylacio ianua vna, quam *χαρώνειον θύρον* vocabant, qua educeban-

tur

tur ad supplicium, qui capitis essent condemnati, vid. *Pollucem & Graecos Paroemiographos.* Testatur etiam Plutarchus, in aliis vrbibus Graeciae, portam quandam sceleratam fuisse, quia sontes, (nam extra Pomaria in reos animaduertere moris erat) τὴν ἐπὶ θανάτῳ ducerentur: ipse πύλας ἀποφράδας vocat. Hinc est apud Plautum prouerbium: *Extra portam ire:* in Milite. Seneca pater controuers. lib. 1. dicendum est in puellā vehementer, non sordide, nec obscene. Sordide Basilius, qui dixit: *Extra portam istam virginem* Respondet illis Graecorum, ἐς μακαρίαν & ἐς κόρακας. Casaubonus in comment. ad Theophr. c. περὶ ἀναισθησίας. Fuit & Romae vicus sceleratus, ex facinore Tulliae sic vocitatus, de quo *Marlianus in Topographia Romae lib. 3. c. 24.* Sic in Kirchaina Chattorum, quae est mea patria, est porta quaedam sacra, quae *Brussella* vocatur vulgo, per eam antehac ex proximo vico, qui ab inferiori sylua nomen habet, defuncti ad sepulturam inferebantur, ideoque funesta quasi & sacra habita fuit, & habetur adhucce ominosa, vt nullus sponsus, neque sponsa ad festum nuptiale celebrand. per eam ingrediatur, aut vehatur.

CAP. LII.

De Porta nigra apud Treuiros.

Treueris olim erat porta magna & sumtuosa cognomento *Nigra* & etiam *Martia*, Martem namque Deum belli colebant Et quando exirent ad bellum, ea porta exibant, & quando infelici marte pugnatum esset, ceu tristes & moesti per eam portam ingrediebantur, & ideo nominabant *Nigram Portam* propter tristitiam: hodie vocatur *Porta Simeonis* testatur *Ioes Enenius in medulla gestorum Treuerens. c. 2.* Romae extra portam Esquilinā, in regione aggeris sontium corpora necabantur à carnifice, & incombusta praesertim pauperum proiiciebantur, vt constat ex Horat. Epod. 5. Od. 17.

Post insepulta membra different lupi
Et exquiliuiæ alites.
Neque hoc parentes heu mihi superstites
Effugerit spectaculum.

In quem locum adnotauit Porphyrius, corpora eorum, de quibus esset sumpta pœna, proiici consueuisse, comburi vero ex Plauto scribente in Cassina. Act I.

Illum adepol videre ardentem te extra portam Meniam credo ecastor velle.

CAP. LIII.

De more conspergendi sepulcra vino.

SOlebant gentiles plerumque mortuorum sepulcra conspergere vino, præcipue in honorem cœsorum *Plutarch. in vita Aristid.* vbi anniuersarias inferias Græcorum describit, pueri, inquit, portabant singuli vasa plena mero, quæ in propitiatorium sacrificium in sepulcra mortuorum effundebantur, postquam priùs astantes, ex terrenis & ligneis poculis modicum gustassent. Latini nominabant *Inferias* Græci *Choas Eurip. in Hec. Aristot. de mund. &c. Vincentius Textor in lib de natura vini lib. 1. c. 1.*

Tales inscriptiones tumulorum adhucce leguntur.

Senis in S. Dominici.

Vina dedere neci Germanica vina sepulcro
Funde, sitim nondum finiit atra dies.

Ibidem in S. Spiritus.

Potoris.

Vina dabant vitam mortem mihi vina dedere,
Sobrius auroram cernere non potui.
Ossa merum sitiunt vino consperge sepulcrum,
Et calice epoto care viator abi.
Valete potatores.

CAP.

CAP. LIV.

Quando omnia ſepulcra aperientur?

SAnctus Hieronymus refert, ſe in libris Hebræorum inueniſſe quindecim ſigna præceſſura per quindecim dies finale iudicium, quæ tamen ſigna Hieronymus deſcribit recitatiue magis, quam aſſertatiue, & inter illa ſigna ponit, quod tertio decimo die omnia ſepulcra aperientur. Quarto decimo die, omnes homines de habitaculis ſuis ſeu cauernis exibunt, & diſcurrent tanquam amentes nec poterunt ſimul loqui. Quinto decimo die morientur & reſurgent cum mortuis, diu ante defunctis &c *Dionyſ. Carthuſ. de quatuor nouiſſ. artic.* 27. Quod de apertionibus ſepulcrorum dicitur, ſatis credibile eſſe videtur, ſicut & tempore paſſionis Chriſti monumenta aperta ſunt, quod ex terræ motu partim fieri poterit.

CAP. LV.

De ſepultura proprietariorum.

CVm religioſi & monachi mortui ſint mundo, & ſeruiant Chriſto *12. q. 1 c. 2.* & ad tria vota, obedientiæ, Caſtitatis, & paupertatis adſtricti ſint, vt nihil proprii habere debeant, ſi quid apud eos poſt mortem inuentum fuerit, eccleſiaſtica ſepultura priuantur, & ſepeliuntur ſicuti excommunicati, in ſterquilinio ſine vllo diuino officio. Exemplum refert *S. Hieronymus* ſcribens ad Euſtochiam virginem, exhortans illam ad amorem paupertatis, & præmonens à vitio proprietatis, tanquam à peſte. Ante paucos annos, inquit, in Monaſterio de *Nitria* fuit frater quidam, non animaduertens, quod Dominus noſter fuerit venditus pro triginta denariis, argenteis, qui reliquit poſt mortem ſuam centum ſolidos, quos texendo retia, acquiſierat. Vnde conſilium à monachis ibid. circiter habitantibus fuit habitum, quid cum eo agendum eſſet. Quidam dicebant, denarios diſtribui debere pauperibus, alii, vt da-

rentur Ecclesiæ, alii, vt mitterentur patri eius. Ast B. Macarius, Paulus, & Isiodorus & alii patres seniores decreuerunt, quod debeant sepeliri cum eo, & sic factum est, dicendo: *Pecunia tua sit tecum in perditionem. il tuo danaio sia teco in perditione Basilius Gradi de Ragusa in tractato della verginita cap. del. voto. della pouerta. 30. p. mihi. 173.*

CAP. LVI.

An mortui statim sepeliendi?

MOrtuos non statim terræ mandandos esse, suprad. exempla reuiuiscentium satis monent, nonnunquam enim moribundæ animæ in corporibus latent suis, vehementioribus extasibus oppressæ, & ab omni corporea actione solutæ, sic vt vita, sensus, motus, corpus omne deserant, ita tamen, quod homo vere nondũ mortuus sit, sed iaceat exanimis, & tanquam mortuus, etiam per diurnum tempus, atque id sæpissime compertum est pestilentiarum temporibus, multos videlicet, qui pro mortuis tumulandi ferebantur, in sepulcris reuixisse multoties etiam mulieribus accidisse legimus, ex suffocatione matricis laborantib. *Coler. Oecon. part. 6. lib. 18. c. 113.* Sicut de Ioanne Duns Scoto, scholastico illo subtilissimo memoriæ proditum est, illum cum in Ectasin incidisset, ipsi peculiarem, ob accuratissimas meditationes, diutiusq; ea detineretur, à discipulis pro mortuo elatum sepultumque esse Coloniæ Agrippinæ Anno M. CCC. VIII. in templo minorum conuentualium in Choro cum hoc Epitaphio quod ibi exscripsi:

Ante oculos saxum Doctorem deprimit ingens
Cuius ad interitum sacra Minerua gemit.
Siste gradum lector fuluo dabis oscula saxo
Corpus Ioannis hac tenet vrna Scoti.
Anno milleno ter CCC cumque adderet octo,
Postremum clausit letho agitante diem.

De hoc Scoto idem narrat *Iouius in Eloquiis F. Innocentius Cybus Ghisus in tract. Italico de sepolcri. Dialog. Secundo p. mihi 49.* idem refertur de Platone, vt & de aliis.

Scotum eleganti carmine decantauit Ianus Vitalis.

Quod

Quod nulli vnquam hominum accidit viator
Hic Scotus iaceo semel sepultus
Et bis mortuus omnibus Sophistis
Argutus magis atque captiosus.

De Ectaticis late tractat *Petrus Bonaiisteau Launaus in discours de la excellence & dignite del hōme p. mihi 159. & seqq.*

Ne igitur semiuiui adhuc, & in quib. esset aliquid vitę latentis, pro mortuis sepulturæ traderentur, consuetudo ciendi clamorē introducta est à Romanis, eo scilicet fine vt vel exeuntē animā retardarent, vel in corpore adhuc delitescentem expergefacerent. Primam causam *Propertius* docet apud quem lib. 4. Cynthia sic canit

At mihi non oculos quisquam inclamauit euntes
Vnum impetrassem te reuocante diem.

Et Ouidius:

Nec mandata dabo? nec cum clamore supremo,
Labentes oculos claudat amica manus?

Alterā suppeditat *Seruius ad lib. 6. Æneid. Plinius in nat. hist.* dicit hanc esse causā, vt mortui & calida abluantur, & per interualla conclamentur, quod solet plerunq; vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere. Denique quendam suppositum pyræ, adhibitis ignibus, erectum esse, nec potuisse liberari, vnde & seruabantur cadauera octo diebus, & calida abluebantur, & post vltimam conclamationem comburebantur. Vnde etiam ortum, vt *Conclamati* dicerentur in quibus nulla spes reuiuiscendi. *Seneca de tranquill. animi c. 11.* Toties in vicinia mea conclamatum est, *Ausonius in Genethliaco ad* Nepotem.

Adnuito vt reducem fatorum à fine senectam,
Sospes agam, festumque diem dubitataque cernam
Sidera deposito prope conclamatus in auo.

Et Lucanus lib. 2. Pharsalicæ

-- *Sic funere primo*
Attonita tacuere domus quum corpora nondum
Conclamata iacent: nec mater crine soluto
Exigit ad sauos famularum brachia planctus,

CAP. LVII.

An corde mortuo, anima corpus informet?

DVbitatur, an poſſit contingere, quod corde iam mortuo, anima adhuc informaret aliam aliquam partem, vel aliud membrum corporis: Ad quod ſic reſpondetur: quod cũ complexio fixa cæterorũ membrorum corporis, non dependeat à corde, nulla repugnantia videtur, quod complexione cordis corrupta, adhuc in aliqua parte alia corporis, poſſit eſſe complexio fixa ſufficiens vnioni animæ, ad partem illam. Nam ſicut contingit ſæpe, oculum eſſe cœcum irrecuperabiliter, & animam tamen adhuc totam materiam eius informare, ſic videtur etiam, quod anima informare poſſit aliquam corporis partem, licet ſic infelix eſſet, quod anima operationes vegetatiuos in ea exercere non poſſet, quia perfectior requiri videtur complexio, ad exercendũ vitalem operationem, quam ad ſolam ipſius animæ ad corpus vnionem Et ita ſtat cum ceſſatione operationũ vegetabilis, & ſenſibilis animæ, in toto corpore, quod anima adhuc informanter inhæreat corpori, & ita hominem adhuc mortuum non eſſe, perſolutionem vnionis informatiuæ ad corpus. Illi autem qui dicunt, quod quam cito corrupta eſt irreformabilis diſpoſitio corporis, vel partis eius, aut cordis, vel alterius membri principalis, ſine cuius operatione non ſtat vitã continuari, (vt puta de operationibus animæ vegetatiuæ) tam cito anima deſinit informare totum corpus, qualitercunque alia membra fuerunt diſpoſita, iſti tales reſpiciunt ad regularem proceſſum hominis, ad mortem, vel reſpiciunt ſolum ad id, quod vt plurimum contingere ſolet in morientibus, communiter enim in illis videtur cor vltimo mori. Ex qua concluſione ſiue opinione, ſequitur hoc corollarium, quod non ſemper, qui vulgari æſtimatione habetur mortuus, ſit ſimpliciter mortuus, quia ad ceſſationem ſenſus & motus cordis, non ſequitur ſemper deanimatio corpors. Sed poteſt contingere,

gere, quod post illam cessationem, quandoque per magnum tempus maneat vnio informatiuæ animæ ad corpus, & ita contingere potest, quod quandoque homo viuus sepeliatur in sepelitione mortuorum, qualiter tempore pestilentiæ fieri consueuit. Potest etiam nonnunquam ex aliqua causa accidentali contingere, quod in homine sano cessat anhelitus, & omnis motus & sensus, longo tempore, vt per diem vel circa, vt omnino mortuus appareat. Imò aliquis potest sic in naturalibus esse dispositus, quod ad aliquem planctum, vel contemplationem fortem spiritibus ad intra tractis iaceret similimus mortuo. Sicut *B. Augustinus narrat in lib. de ciuit Dei* de quodam presbytero. Ergo nisi causa subsit, non est festinandum, aut præcipitanter agendum, in sepeliendo mortuos, ne contingat sepelire viuos. Hæc *Henricus de Hassia in Genes.* Additio. ¶ Hinc Auerroes narrat Arietis historiam, qui capite amputato ambulabat *7. Phys. com. 4.* quamuis id Galenus neget, concordat nihilominus Alex. in Paraph. de anima c. vlt. vbi vult, quod corde ablato ab animali, possit moueri & viuere, sicut testudo, & cameleo & pari ratione ablato capite, qui etiam dicit: argumenta, de principatu animæ vtrum in corde, vel in capite consistat, esse communia *Bartholomæus Sybilla in speculo peregrinar. quæst. decad. 1. c. 2. quæst. 6.*

CAP. LVIII.

Cur homo mortuus efferatur pedibus ante?

DE exitu infantis patet, quod vterque exit foras per os vulvæ: tamen prius cum capite, si sit bene sanus. Sciendum est, quod masculus nascitur supinus, & si aliqua vice teneatur in aqua balnei, & moriatur: moritur ore inferius, verum fœmina nascitur non supina, sed cum ore inferius, & si aliqua vice moriatur in aqua, moritur ore supino. Nascitur enim prius cum capite, quilibet, eo quod est sibi quidam introitus ad vitam

 tempo-

temporalem, vt videat mundum, & eum cognoscat miseriis plenum, & suum defectum & quod per se nihil potest facere. Et cum est mortuus naturaliter portatur cum pedibus ante ad fossam in signum sui exitus. Et sicut per caput mundum intrauit: ita per pedes extrahitur suum finem videns. *Excellentiss. rerum naturalium perscutator Michael Scotus in Physionomia ad Fridericum Rom Imp. c. 11. de modo nascentis infantis.*

CAP. LIX.

De Zenone viuo sepulto.

REfert *Cæsar Baronius Tom. 6. c. 214. thesaur. antiq. Eccles. hocce* Exemplum. Verum illud magis certũ est, inquit, ipsũ quidẽ morbo comitiali arreptũ, adeo vt videretur mortuus, viuentem vero fuisse sepultum, nam idem subdit. Itaque vxorem, & cubicularios propriæ saluti consulentes mortuum in assere iacentẽ reliquisse, diluculo tandem quendã eum nulla necessitudine attingentem sindonem cadaueri iniecisse, satellites porro, qui ad sepulcrum, in quo repositus fuit, custodiendũ erant collocati, retulerunt, se per duas noctes lamẽtabilẽ vocẽ audiuisse, ex sepulcro elatam, *Miseremini & aperite mihi*, cum illi dicerent, alium iam imperare: *Nihil*, inquit *curo in monasterium me abducite*. Sed cum non aperirent, fuerunt aliquando post monumentum fuisse reclusum, inuentumque in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos manderat, & caligas quas gestabat. Quia crebro comitiali corripiebatur morbo, quæ ipso adhuc viuente, Ariadna Zenonem amabat, eadẽ mandauerat custodiis regii sepulcri ne aperirent) Hæc *Cedrenus*. Zeno Imperator, siue ob cibus potusque nimiam ingluuiem, siue ob summam ægritudinem deliquio animi correptus, in sepulcrum immissus est, & quanquam receptis sensibus exclamasset, tamen dimissus Ariadnæ vxoris odio non est adiutus, atque ita vere defunctus est, vt tradit *Zonoras in Basilisco*.

CAP.

CAP. LX.

De Gerone Archiep. Coloniensi.

ARchiepiscopus Coloniensis Geron, vulneratus á Sicariis, velut mortuus est conditus sepulcro à Valramo ipsius successore, qui cum refosso sepulcro inuenisset Geronem sese in alterum latus vertisse, pœnitentia ductus Romam expiandi criminis causa profectus est. *Krantzii metrop. lib. 3 c. 45.*

CAP. LXI.

Mulieres grauidæ vitent adspectum cadaueris.

VAlere quamplurimum imaginationem in corpus proprium, testantur Plinius, Hesiodus, Plutarchus, Hippocrates, quorum testimonia recenset longo ordine *Martinus Weinrichius comment. de ortu monstrorum c. 17.* Similitudinum quidem in mente reputatio est, & in qua credantur multa fortuita latere, visus, auditus, memoriæ, haustæque imagines sub ipso conceptu cogitatio enim vniuslibet animo subito transuolans, effingere similitudinem aut miscere existimatur, & pleni sunt Physicorum libri, visa per conceptum magnam in partu vim habere. Vidimus, inquit, Witebergæ ciuem facie cadauerosa, qui dixit, matrem cum vtero gestaret, ex conspectu cadaueris territam esse, & ex eo fœtum illi assimulatum.

CAP. LXII.

An corpus humanum post mortem aliquot septimanis colore & habitu floridum incorruptum absque putredine incipiente naturaliter nullo artificio accedente durare possit?

TRactat hanc q. *Gregorius Horstius Torg. Phil. & Med. D.* in σκέψει Physica Medica, de quodam ad-

miran

mirando, & singulari, quem hucce transcribere decreui, in declaratione ad ipsius censuram me remittens.

Casus.

Anno τῦ λόγυ M. DC. IV. die XXVI. Decemb. vir quidam nobilis iuuenis, ætatis suæ XXV. anno, vespertino tempore, circa nonam horam noctis è fenestra domus superiori, in oppido Blindtmarck, inferioris Austriæ bombarda petitur, & globo tormentario per sinistram pectoris immisso, perque dextram hypochondriorum exeunte, protinus in loco occiditur. Reuiso cadauere, vulnereque considerato, quantitas eadem introitus atque exitus, non sine copia sanguinis profluentis, reperta est. Subsequenti die XXVII. Decembr. matutino corpus occisi iuuenis vestibus aliis ornatur, atque ita per biduum quietum retinetur. Porro XXX. Decembr. in libitinam reponitur, & in loco sacro custoditur, idque sine motu vlteriori, vbi tamen nihilominus ex vulnere superiori vsque ad VIII. Ianuarii Anno M. DCV. recens quotidie manauit sanguis, à quo tempore hæmorrhagia desiit. Rursus vero XIII. Februarii circa meridianum tempus sanguinis fluxus, per vulnus inferius hora vna atque altera deprehensus fuit, ac si iam vix cędes facta esset. Interim habitus totius corporis talis fuit, vt viuenti facilime responderet, color faciei vsque ad sepulturam rubicundus, & floridus. Vena insigniori sanguine repleta in fronte apparens, signũ putredinis incipientis per tot septimanas nullum apparuit. nullus fœtor, aut ingratus odor, qui alias cadauera paucorum dierum consequitur, hic deprehendebatur, digiti manuum molles ac mobiles, vel flexibiles absque omni ἀρτοφία extiterunt colore naturali non admodũ mutato, nisi quod procedente tempore circa septimanam vltimam ante sepulturam in extremitatibus quodammodo liuescere inceperint.

Consul-

Consultum est super hoc casu Vniuersitatis Viennensis in Austria collegium medicum, cuius responsum apud Horstium videre est.

CAP. LXIII.

An præseruatio corporum mortuorum, sit opus Dei, vel naturæ, aut Diaboli?

QVæritur, si apparitiones & mirabiles factiones apparentes quandoque circa corpora defunctorum vtputa conseruatio corporum post mortem, ab incineratione, & augmentum vnguium, barbæ, pilorum, in mortuis, aut emanatio sanguinis de corpore occisi, ad præsentiam occisoris, quibus sint tribuendæ diuino miraculo, an naturæ, vel Dæmoni? Ad quod respondens Augustinus 21. de ciuit. Dei dicit, quod apparitiones, & functiones mirabilium, generaliter reduci debent ad quatuor, scil. ad Deum, ad angelos, ad dæmones, ad homines sanctos, vel ad eorum spiritus, fieri etiam quandoque possunt per homines dæmoniacos, vt per magos: & quandoque etiam fallaci subtilitate humana. Dominus autem *Henricus de Hassia* ad hanc quęstionem hanc respondet sic: de singulis miris, & insolitis, veras reddere causas, difficilimum est. Nam si felix dictus est, iuxta poetam, qui eorum quæ naturaliter apparent, causas cognoscere potuit, felicissimus dici certe poterit, qui eorum, quæ supra naturam apparent, & apparuerunt, causas efficientes & finales discernere nouit: Possunt enim, inquit, idem mira, & insolita circa corpora defunctorum subtilitate, dæmonum, & peruersorum hominum astutia procurari. Sic B. Augustinus in 14. de ciuit. Dei, narrat, de quodam, qui quando voluit, se fecit per omnia similimum mortuo, quandoque similimum cœco, hydropico, vel claudo, & quandoque etiam quædam mira circa mortuorum corpora ad naturales causas reducibilia sunt, sicut ad illud de conser-

uati-

uatione corporum à putrefactione, post mortem, respondent aliqui, dicentes, quod virtus loci, vel virtus vnguenti, aut rei alicuius corpori impositæ, potest esse causa præseruationis corporũ ab incineratione, & quod vngues crescant barba & pili in mortuo, causa potest esse naturalis scilicet complexio morientis, in materia, cuius potest post mortem induci aliqua forma imperfecta, de genere vegetatiue viuentium, vel quia caro restringitur, vngues magis apparent propter quod aliqui credunt eas crescere: Aliqui autem quod corpus mortui imputrefactum maneat, attribuunt diuino miraculo. Nam Deus conseruat quandoque corpora sanctorum imputribilia, in testimonium singularis sanctitatis, & innocentiæ & integritatis, mentis, & corporis eorum, vt sic remaneant corpora eorum remota à putrefactione, & incineratione, & vermium comminatione, siue corrosione, sicut dum viuerent, integra fuerunt à carnis corruptione, sicut de eo patet, de quo scriptum est: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Aliquando aliquorum etiam corpora præseruantur à Deo incorrupta, eo quod tales mortui sunt in excommunicatione. Nam vt quidam ferunt, excommunicatorũ corpora non putrescunt, & ponunt exemplum *Caroli regis* Hungariæ, ante plures annos interfecti, & ab Vrbano sexto excommunicati, qui dicunt, ideo adhuc integrum remanere, vt scil. sit argumentum aliquale, quod ille fuerit verus Papa, qui ipsum excommunicauit, & sic apparet iniquitas defuncti, maius damnumquã præseruatio à corrosione vermium fore: aliquando etiam malorum corpora subtilitate dæmoniorum conseruantur incorrupta, in deceptionem, vt credatur, hoc merito viæ talium accidere, & sic approbentur mala, quæ fecerunt pro bonis, & sic inducatur vulgus credulum ad inuocationem ipsorum, vel ad factum corporum suorum cœci fuerunt illuminati, claudi ambulauerunt, surdi audierunt, & infirmi de variis languoribus liberati sunt, quinimo & mortui resuscitati sunt. Nam, vt dictum est, hæc & similia realiter diuino miraculo & sophistice fieri & procurari possunt.

Verum

Verumtamen omnia corpora, quibuscunque de causis ab incineratione præseruata, ante resurrectionem finalē in cinerem resoluentur, vt impleatur vniuersalis Dei sententia Adæ, & totius posteritati inflicta quæ dicit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo & in puluerem reuerteris* *Gen.3.* Ad illud aūt de effusione cruoris ad præsentiā occisoris, de quo scribit Philosophus, lib. de commixtione elementorum, licet superstitiose aliqui dicant, quod hoc fiat per deceptionem introductam ab homine, vel à dæmone, tamen si ita sit, semper, vel vt in plurib. magis videtur esse diuino miraculo ascribendum in honorem & detestationē peccati, quā ratio aliqua aliunde quęrenda. vt patet *Gen.4. de sanguine Abel.* coram Deo scaturiente & bulliente, in vindictam homicidæ. Hæc ex Domino *Henrico de Hassia super Genesin Bartholomæus Sybilla in speculo peregrinarum quæst.p.4 c.8 tertia decadis.*

CAP. LXIV.

De muliere mortua seipsam deuorante.

GRæcorum prouerbium est νεκρὸς ὀ δάκνει *Homo mortuus non facit Guerram*, experientia tamē testatur, mirabile quoddam, quod aliqui mortuorū, in sepulcris deuorent, & deglutiant vestimenta, inde mos introductus, vt facies illis operiatur, & ferunt proximos agnatos, & propinquos, ex eo mori, sicut refert exemplū Hondorff *in theatr. histor. in præcept.2.p* 147. de muliere quadā mortua, sese ipsam deuorante, ibiq; addit responsum Lutheri ad conquestionē Georgii Rorer de facto: de mortuorū in sepulcro esu plura exempla recenset *Conradus Schlusselburgius in declaratione Psal 91. conc.12. puncto* 3. Cuius certe rei occulta erit ratio, nisi velimus cum Hebræorū magistris sentire, quod omne corpus nostrū & carnale animal, & quicquid in nobis superest, materia carnis male disposita relinquatur in cibū serpenti, & vt ipsi vocant Azazeli, qui est Dominus carnis & sanguinis, & princeps huius mundi, & vocatur in Leuitico *Princeps desertorum* cui dictum est in Genesi: *Terrā comedes omnib. dieb. vitæ tuæ* & in Isaia *puluis panis tuus.* h. e. corpus nostrū creatū ex puluere terræ, quamdiu non

fue-

fuerit sanctificatum, & transmutatum in melius, vt non amplius serpentis, sed Dei sit effectum, videlicet ex carnali spirituale, iuxta verbum Pauli dicentis: *Seminatur quod animale est & resurget quod spirituale est*, de quo & Paulus *Scalichius in conclus. de dæmonio infernali conclus. 48 Pistorius in sua Dæmonomania*, Tacendum est, inquit, ne deuoremur ab Azazele per iudicii proprietatem Exemplum refert *Gabriel Rollenhagius in lib. 4. mirabil. peregrin. c. 20 n. 5.* & addit mortuo solere, priusquam os eius claudatur, lapidem & nummum poni in ore, vt si in sepulcro mordere incipiat, lapidem & nummum inueniat, & ab esu abstineat. Idque in Saxonia pluribus in locis fieri testatur. Ethnici olim, etiam mortuis nummum in ore posuere, vt esset vectigal *Charonti*, qui mortuorum animas accedentes ad inferos excipit, & traiicit per Acherontis vndas: de quo *egi in libello de maribus fluminibus &c. in verb. Acheron.* Et hodie etiamnum Iudæorum capita inueniuntur effossa, quæ ante aliquot centum annos sepulta fuere, aureum nummum in ore habentia.

CAP. LXV.

De lecto mortuæ puerperæ.

SVperstitiosæ mulieres etiam post mortem puerperæ lectum eius sternere solent, ac si adhuc viueret, ad consummationem vsq; sex septimanarum, ferunt animam singulis noctibus cubare in eo, fossam imprimere, instar felis cubantis. *Gabriel Rollenhag. loco citato.*

CAP. LXVI.

De osculo dato infantulo mortuo.

TEnet superstitiosa turba mulierum, in sua Philosophia hoc pro certissimo: Si mater mortuo suo infantulo osculum dederit, osculum illud causam esse, vt

& alii

& alii infantes paulo post moriantur. *Abraham. Scultetus in conc. sup. 47. cap. Iesaia B. 3.*

CAP. LXVII.

Cur transiens locum in quo homo occisus, vel cadauer recens absconditum, timore atque pauore concitatur?

OCcultam huius rei tradit rationem venerandus *H. Cornelius Agrippa in lib. 1. c. 6. de occult. Philos.* Quia aer deificum velut speculum quoddam, omnium fluxus in se recipit, aliisque cum elementis, tum mixtis singulis communicat, non minus etiam rerum omnium, cum naturalium, tum artificialium, & sermonum quorumcunque species in se suscipit, & retinet, eo in loco, vbi tale quidpiam perpetratum est, aër plenus est horribilibus homicidii speciebus, & sic spiritum hominis, dum vna inspiratur, similibus speciebus afficit, ac perturbat, vnde sequi contingit pauorem: Omne namque subito imprimens naturam stupefacit, accedit opera dæmonum, qui spiritui nostro aduersantur, delectantur enim dæmones in his, quæ sunt melancholica, & dominantur super loca horribilia, solitaria, & obscura, atque subterranea, & vt amatores tenebrarum, mœstitiæ & melancholiæ in illis libenter permanent, atque operantur. Et hinc euenit, vt omnes qui terroribus à spiritibus immundis opprimuntur, vt plurimum hoc fit in locis opacis & sine luce, *Hieronymus Mengus in Flagello dæmonum c. 3. tetigi & ego in libello Torques damnatorum qui inscribitur c. 18.*

CAP. LXVIII.

De igne fatuo in cœmiteriis & locis suppliciis destinatis errante.

PLinius lib. 2. c. 37. Castorem & Pollucem nominat, quos geminos fratres Iouis ex Leda filios , qui &

T ndaridæ passim à poëtis appellantur, fuisse ferunt. Cumque Castor diem suum obiisset, aiunt Pollucem fratris desiderio à Ioue potuisse, vt immortalitatem suam cum fratre posset partiri, qua re impetrata, alternis eos mortem oppetiisse ac reuixisse. Hinc postmodum ad Lacum Regillum, forma augustiore apparuerunt, ducentes equitatum Romanum aduersos Latinos, iidem mox visi sunt sudorem equorum abluere iuxta fontem Luturnæ vt Dionysi. *lib. 6 antiq. scribit*. Vnde Ethnici putarunt ignem erraticum supernaturalem & peculiarem esse, cui sententiæ astipulantur plurimi, qui aliquid diuini istiusmodi meteoris inesse volunt, *Rod. Goclen. in notat. Phys. Valeriani p. 69. Timplerus in metaph. lib. 4. c. 4.* Alii eius originem naturalem, & Physicam dicunt: generari siquidem de exhalatione calida, & sicca inflammata in sublimi, sed quam frigus mediæ regionis aëriæ, vt debiliorem ascendere non permittit, sed deorsum repellit, & descendere facit. *Velcurio lib. 3. c. 4. Mag. lib. 4. c. 2. Casp. Finckius in sched. 69.* Latini ignem præcedentem & sequentem vocant, Græci πολυδεύκεα quod ambulantes noctu præcipue equitantes, aut nauigantes sæpe præcedere, aut sequi videtur, non sine horrore, per deuia sæpe ducit homines, eosque in fossas, vel amnes, vel profundas in aquas, præcipites dari. Crebrior apparitio eius est circa loca humida, & fumosa, & palustria, vt in cœmiteriis, in locis suppliciorum, coquinis, conuallibus, in campo vbi prælia sunt commissa, in macellis & agris stercoratis, ex magna pinguis humoris copia, illinc enim est plus viscosæ pinguedinis *Velcur lib. 3. fol. 220.* plerumque etiam autumno, & vere, vbi exhalationes sunt frequentiores, existere solent *Hauen. in epit. Phys. lib. 1. de met. 4. Conf. Simon Maiol. in dieb. canicularibus colloq. 1. Meteora. Natalis Taillepied. in Traite de l'apparition des Esprits chapitre 7 p. mihi 64.*

CAP.

CAP. LXIX.

Dæmones & mortui quando & vbi maxime sentiantur.

NVllibi magis seu Dæmonum, seu mortuorum vestigia videre aut audire licet, quam circa morituros, aut post ingentes clades, vel pestilentię temporibus, dupliciter autem hæc morituris eueniunt, vel ipsis, vnusquisue enim antequã moriatur, aliquid videns terretur, & postquam viderit, non superuiuit. Et quanquã naturale esse possit, mirum tamen est, vel aliis hæc contingunt: quod enim principibus fulgura, & cometes & sydus in cœlo mortis præsagia, id priuatis inconditi strepitus. Vbi etiam multa cadauera hominum male sepulta iacent, procul dubio quædam apparent terribilia, sed quibus etiam naturalis ratio subscribere possit. *Hieron. Cardan. de subtil. lib. 19. de Dæmon.*

CAP. LXX.

De spectris in loco cladis.

SPectra vt plurimum apparere, in locis vbi prælia cõmissa fuere, testatur sequens historia. Felix Malleolus, iurium Doctor præpositus Solodurensis, & Canonicus Tigurinus, vir multiiugæ lectionis in lib. *de nobilitate*, c. 30. scribit. In historia regis Rodolphi Habspurgensis inueniri quod Rex Rodulphus, cum Ottocarum in prælio vicisset, in campo pernoctarit, ibi circiter mediam noctem ingens numerus spirituum visus, mirabiles sonitus, & tinnitus auditi, post vbi disparuere, visi fuere Lemures, siue spiritus occũbentium & occisorum in acie *Ludouicus Lauaterus de spectris c. 16. Natalis Taillepied del apparition des Esprits c. 14.*

CAP. LXXI.

Mortui ac dæmones naturaliter videri possunt & quomodo?

AVerroes, inquit, Cum spiritus imaginationi seruiens formas imaginantes exceperit, soni aut qualitatis cuiuspiam, quo odore aut tactu dignoscatur aut mortui, vel dæmonis, illaque imbutus transferatur ad sensum qui ei actioni correspondet, in odoribus quidem ad instrumentum proprium olfactus, in auditu ad aures, in spectris ad oculos, necessario olfaciet, aut audiet, aut videbit, nullo assistente obiecto. Nam si visio nihil aliud est, quam speciei, à spiritu in Chrystalloide existentis, perceptio, seu species illa ab obiecto decidatur, seu non, patet quotiescunque contigerit hoc, illum videre vere. Atque ita vigilando contingit dæmones, ac mortuos videre, tum etiam cognitorum audire voces odoresque sentire, ac tangere, velut in succubis, incubisque, ob id vero rarius ista videntur, quam audiantur, tanguntur ue, quoniam in cæteris sensibus, cum vnicam sufficiat obseruasse differentiam, vnicus spiritus translatus ad sensum cũ illa imagine, hcc referre potest iñ oculis: cum plures sint differentiæ necessariæ, magnitudo, forma, color, plures spiritus transferri necessarium est. ob id etiam natura cauos facit neruos, qui ad oculum feruntur, solosque tales, quod ipsi in suis operationibus longe pluribus indigeant spiritibus, multoque etiam ob id plus fatigamur intente intuendo, quam vllum aliorum sensuum exercendo. *Hiero. Cardanus de subtilit. lib. 18. de mirabil.*

CAP. LXXII.

De diabolo deambulante.

ANno 1551. Diabolus in multis locis noctu visus est in plateis deambulare, foresque pulsauit, sæpe alba

veste

veste indutus, funera sequutus, luctumque simulauit, & alia peregit hominesque terruit. *Fincell. Andreas Angelus in annalibus March. Brandenburg. p. 345.*

CAP. LXXIII.

De vibratione & lapsu stellarum.

TEnet volgus homini nato præstitui singularē nouam à Deo stellam, quæ ipsum regat, & quando stella labatur, ipsum quoque mori. Quando igitur multæ stellæ vibrare seu labi videntur, signum perhibent esse morboniæ, nam illos omnes morituros quorū stellæ ceciderint, verum non patet ex veris historiis vllam stellam vnquam de cœlo cecidisse, sed cadentes & vibrantes illi ignes non sunt stellæ, sed pingues vapores, in aëre accensi vam si vera stella caderet, totam terram contegeret, cum secundum Doctorum opinionem minima stella, quam sextæ magnitudinis nominant decies octies maior est globo terrestri *Gabriel. Rollenhag. in quæst. veris c. 12. § 5.*

CAP. LXXIV.

De strepitu armorum post pugnam.

POst cladem illam commissam inter Persas & Athenienses, duce Miltiade, quo pugnatum est loco, sequutis temporib. armorum strepitus, & equorum hinnitus, concurrentiumque insuper clamores hominum similes, noctibus singulis exaudiri solitos, Pausanias refert, pluribusque id debita opera curiosius perscrutari volentibus haut paruo diligentiam stetisse suam scribit, cum tamen rei illius ignaris illuc forte, vt fit, accedentibus nihil vnquam aduersi euenisse dicatur. *Nicolaus Leonicus de var. hist. lib. 2. c. 29.*

CAP. LXXV.

De armata multitudine equitum apparentium.

ALiquorum animæ ibi puniuntur, vbi peccauerunt, exemplum refert *Nauclerus.* Anno Domini 1123. In pago, inquit, Wormatienſi videbatur per aliquot noctes armata multitudo equitum euntium & redeuntium, & q. ad placita colloquia nunc hic nunc illic turmas facere: Circa nonam vero horam, cuidam monti, à quo exiſſe videbantur, ſeſe reddere. Tandem quidam regionis illius huic prodigioſæ concioni, ſigno crucis ſe muniens appropinquauit, quendam per nomen omnipotentis adiurat, manifeſtare cauſam populi, qui ſic appareret, cui ille: *Non ſumus* (inquit) *vt putatis phantaſmata, nec militum videmur turma, ſed animæ militum, non longe ante hac interfectorum: arma vero habitus & equi, quia nobis prius fuerunt inſtrumenta peccandi nunc nob ſunt materia tormenti & totum ignitum eſt, quod in nobis cernitis, quamuis id corporalibus oculis comprehendere non poſſitis.*

CAP. LXXVI.

Quare tam ſubito turbines & procellæ oriuntur ventorum, quum ſe ipſum deſperabundus aliquis infelici reſti ſuſpenderit.

SVnt miranda hæcce, de quibus vera ratio reddi nequit. Verum, cum diabolus ſit princeps aëris, vt vocat eum ſcriptura, & feruefcere faciat q. ollam profundum, mare ponatur q. cum vnguenta bulliunt, *Iob.* 41. gaudium & tripudium eius cenſetur, ſicut gaudent Angeli ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, in cœlis. gaudia vero ſua diabolus non in lætitia, & dulcedine peragit, ſed in turbine & furore, prout eſt turbidus & furioſus ſpiritus.

CAP.

CAP. LXXVII.

De pictura & effigie mortis.

MOrs à pictoribus pingitur horrendo modo, ossea tota, absque oculis, absque auribus, absque naso, nuda, sine carne & sine forma, siue sexu, cum falce in manu.

¶ *Sine oculis* quia non respicit vllius dignitatem, statum, aut ordinem, nulli neque Papæ, neque Cæsari, neque principi parcit, hinc Horat.

Pallida mors æquo pulsat pede
Pauperum tabernas
Regumque turres.

Et Claudianus in raptu Proserpinæ.

Sub tua purpurei veniunt vestigia reges
Deposito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia mors æquat.

¶ *Sine auribus* pingitur, quia nullæ preces, nullæ supplicationes quicquam valent, contra furorem eius, hinc Boetius lib. 1. de consol. Philos.

Heu heu quam surda miseros auertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæua negat.

¶ Sine *naso*, quia mundi huius immundi negligit suauem odorem armata, Zibettum, Ambra &c. hinc Esa. c. 14 *Erit tibi pro suaui odore fœtor & pro crispanti crine caluitium.*

¶ *Nuda pingitur* quia non curat bona diuitiasq; Crœsi, hinc S. Bernhardus. *Non miseretur inopiæ nec veretur diuitias.*

¶ *Sine carne* pingitur, quia non curat mollitiem carnis pulchritudinemq; filiorum hominum, hinc Poëta

Ipsa rapit iuuenes prima florente iuuenta.

¶ *Sine sexu*, quia non respicit personam. *Mors nemini parcit.*

Dira metit veluti maturas messor aristas,
Omnia vulnifica falce cruenta secat.

Vberiora de effigie mortis habet *Gabriel Ichinus Canonicus Lateranensis de quatuor nouissimis lib. 2. c. 5.*

CAP.

CAP. LXXX.

De simulacro mortis in conuiuiis apud Aegyptios.

APud Ægyptios hic mos fuit, vt in ipsorum conuiuiis *mortis* simulacrum circumferretur, & conuiuæ admonerentur, vt inter edendum & bibendum illud quoque intuerentur. ¶ Id ipsum apparet quoque in Trimalcionis conuiuio apud Petronium, sicut à Lipsio refertur, in Saturnal. c. 19 lib. 1. potantibus, & accuratiss. lautitias nobis mirantibus laruam argenteam attulit seruus, sic aptam, vt articuli eius vertebraque in omnē partem flecterentur. Hanc quum super mensam semel iterumque abiecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Timalcio adiecit:

Heu heu nos miseros, quam totus homuncio nil est
Sic erimus cuncti postquam nos auferet orcus.
Ergo viuamus dum licet estque bene.

Quid aliud id fuit, quam admonitio fragilitatis humanæ, & mortis certissimæ?

Hoc quoque non minus pie, quam vere magnus ille *Morus Cancellarius Angliæ* suo elegantiss. disticho meditatus est:

Scilicet ex illa, qua primum nascimur hora,
Prorepunt iuncto vitaque morsque pede.

CAP. LXXXI.

De pictura Syrenum & ossium mortuorum.

VEteres Ethnici depingebant Syrenes in amœnissimo prato, sed tamen iuxta eas ex gramine vndique apparentia *ossa mortuorum*. Quare demonstrare voluerunt lasciuas & libidinosas actiones, licet suaues primo intuitu appareant, tamen habere veluti pedissequos, ruinam & pernitiem denique ipsissimam mortem.

CAP.

CAP. LXXXII.

De Chorea mortis Basileæ.

BAsileæ, est ea vrbs perquam celebris Rauracorum, in cœmiterio monasterii Prædicatorum, depicta est Chorea mortis à summo statu, & gradu ad infimum vsque, cum adiectis epigrammatibus vt discamus hinc, summam diuini numinis iram, qui variis plectit crimina nostra modis, & vt discamus mortem peccati reddere pœnam; Omnia quæ tristi corpora falce trahit, quam publico edidit *Huldericus Frolich Plau. P. L in descriptione Basileæ.* Prostant & Epigrammata in imagines mortis è Gallico idiomate *à Georgio Æmylio in latinum translata.*

CAP. LXXXIII.

Quis omnium gloriosissime sepultus?

GLoriosissime omnium hominum sepultus est seruus Dei Moyses, non vllius hominis opera, sed ab ipso Deo, qui sepulcrum eius ignotum esse voluit cunctis hominib. ne tanti Prophetæ admiratione abrepti posteri, ad ipsius monimentum peregrinationes susciperent, & hinc idololatriæ præberetur occasio.

CAP. LXXXIV.

De Ioiakim rege.

COntra Ioiakim insepultus proiectus est, lacerandus à bestiis, auibusque, ex comminatione Dei. Hæc enim est sepultura asini, quæ digna fuit ipsius impietate, in *Psal. 63.* dicitur, *Impii pars vulpium erunt:* Proiicientur cadauera eorum sine honore sepulturæ, & erunt præda vulpibus, vel vt vocat Cic. insepultam sepulturam.

DE MIRACVLIS MORTVORVM PARS OCTAVA.

CAP. I.

Cur litera T dicatur mortualis?

T *Litera* nigra Poëtis, & veteribus *mortualis* siue mortifera dicta est, hinc Martial. lib. 7. ad Castricum

Nosti mortiferum quæstoris Castrice signum?
Est opera pretium dicere Theta nouum.

Cic. pro Milone vocat literam tristem ad Cœlium Rhodiginum, lib. 10. c. 8 idque duplici de causa. 1. Quia sepulcralibus lapidibus inscripta fuit secund. Lipsium. Deinde in iudiciis, qui morti adiudicabant reum, calculo suo inscribebant θ. indicantes, eum esse θανατωτέον vnde Satyrographus:

Et potis est nigrum vitio præfigere theta.

CAP. II.

De θανατούσια & ἀθάνατοις.

Θανατούσια erat festum, atque agon apud inferos, cuius meminit Luc. in lib. de veris narrationibus.

¶ In exercitu Persarum decem millia militum selecta, ἀθάνατοι dicebantur, quod numerus nece, aut morbo militis alicuius imminutus, semper alio substituto adimpleretur, ita vt nunquam plures, nec pauciores, decem millibus essent, præcipuo, ante reliquos omnes cultu decori, & virtute præstantissimi *Herod. lib 7.*

CAP. III.

De 1. Trausis. 2. Getis. 3. Causianis. 4. Ludouico Cortesio. 5. Bactrianis. 6. Essedonibus.

T*Rausi gens* Thracibus finitima, vt *Herod. refert* in Terpsichore edito infante, cum ploratu commemorant, quantum calamitatum illi sit perferend. vitam ingresso, contra defunctum hominem cum lusu ætitiaque

tiaque efferunt, recensentes, quam multis malis subductus sit, vt eleganter & prolixe hac de re scripsit *Erasmus in adagio Optimum non nasci.* ¶ 2. De Getis quoque scribit *Pomponius Mela lib. 2 de situ orbis.* quod piissimi olim omnium mortalium habiti sint, vt qui optime & sanctissime de Deo immortali sentirent, complures enim eorum animas dicebant sempiternas, quæ etiam post corporis obitum ad beatiorem vitam transirent; Qua ex re longe melius esse arbitrabantur, mori quam viuere. Proinde puerperia lugebant, funera autem lusu ac festo cantu celebrabant. ¶ 3. Hoc etiam Causianis attribuitur, ii enim nascentes lugent, mortuos autem beatos reputant. ¶ 4. Hoc Ludouicus Cortesius Iurisconsultus Patauinus suo tempore celeberrimus, in suo testamento posteritati in mentem reuocare voluit. Is enim, vt Bernardinus Scardeonius de claris Iurisconf. Patauinis refert, lib. 1. classf. 8 moriens, contra communem mortalium morem ex testamento interdixit suis propinquis lacrumas, & solitas funerum lamentationes, Ennii summi vatis exemplo, & quæcunque lugubria solent ad mœstitiam parari, abesse prorsus voluit, addita etiam ex legato graui mulctatione hæredis, si id facere neglexisset. Contra vero pro his acciri iussit musicos, cantores, & citharœdos, & tibicines, omnis generis, qui vario concentu, vna cum Clero funerum pompam, partim præirent, partim sequerentur, vsque ad quinquaginta, quibus singulis mercedem dimidii aurei nummi dandam statuit. Et quod duodecim puellæ innuptę, amictæ viridibus pannis, feretro subirent, vsque ad templum, vbi se sepeliendum mandauerit, quæ omnes pariter de more lætantium, quæcunque vellent, modulantes alta voce concinerent, relicta singulis certa pecuniæ quantitate dotis causa. Sepultus est in æde vetustissima S. Sophiæ centũ funalib incẽsis, & viginti integris dandis vniuerso clero Patauino, qui longo ordine pręcedebat & cũ eo omnis cucullatorũ cõuentus, exceptis Eremitanis, quos testamẽto cauit, ne funeri suo vllo pacto interessent, ne sua fortassis illa nimia cuculla

rum

rum nigredine hilaritatem exequiarum interim funestarent. *Obiit anno salutis M. CCCC. XVI. Cal Aug.* sicut in eius Epitaphio ibidem videre licet. Huius testamenti meminit Paulus de Castro Iurisconsultus, idque tanquam hominis non sanæ mentis in dubium vocat in *l quidā in suo. D de condit. inst.* quod approbare videtur textus in *l. seruo. de legat. 1. vt refert Fulgosius* longa disputatione re tractata, vt necessaria iudicata est, atque eam executus est hæres; quod aperte ostendit, nisi grauibus de causis, testatorum voluntatem qualiscunque sit, ab hærede prætereundam non esse *lib. 7. c. 8. de testament. &c.* ¶ 5. Bactriani, vt Onesecritus reliquit, senio aut morbo confectos apponebant canibus viuos, ad hoc de industria enutritis, quos patria lingua *sepulcrales* vocabant, quam legem sustulit Alexander. Illud haut verum ducit *Æneas Syluius al. Pius. 2. P. R. in descript. Asiæ c. 16 vbi sic scribit:* Nec vera locutus Onesecritus existimatur &c. ¶ 6. Essedones ossa capitum suorum parentum, auro cincta, in poculorum tradere ministerium asserunt. *Idem Pius in descr. Asiæ c. 13.*

CAP. IV.

De Chiis, Tauris, Sindis, Colchis, Phrygibus, Parabis, Indis, Persis.

CHii combustis cadaueribus & ossibus collectis in mortario ea contundunt, deinde nauigio imponentes, in altum nauigant, atque per cribrum ad ventorum flatꝰ dispergunt, donec omnino dissipentur & aboleantur. ¶ Thauri gens Scythica, cum regibus extinctis gratissimos eorum amicos vna sepeliunt. Si vero amicus aliquis regi interierit, pro illius dignitate & merito rex auriculam vel totam vel eius partem amputat. ¶ Sindi totidem pisces iniiciunt sepulcris, quot hostes sepeliendus necauerit. ¶ Colchi defunctos non sepeliunt, sed ex arboribus suspendunt. ¶ Phryges non defodiunt mortuos sacerdotes, sed supra lapides 10. cubitorum erectos eos statuunt. ¶ Paræbi Lybiæ regis

regis extincti corpus obruunt terra, caput autem abscissum, & inauratum in delubro collocant. ¶ Indi cum moriuntur, carissimam ex vxoribus vna concremant. Fit autem inter vxores maximum certamen, dum singulas, vt vincant, acti studio amici promouent: *Idem Herodot. histor. lib. 5.* à Scythis qui supra Chrestomeos incolunt fieri tradit. ¶ Persæ & Ægyptii nefas esse putant mortuos comburere. Nam Persæ ignem Deum existimant. Quare non iustum esse dicunt, humanum cadauer offerri Deo. Ægyptii vero persuasum habent, ignem animatam quandam esse belluam, quæ quæcunque nanciscitur deuorat, atque consumit, at cum est expleta ipsam & quæ ab ea vorata sunt, vna emori, & propterea nec cremari, nec belluis offerre corpora, vt aliæ plerę que nationes Ægyptii statuerunt, sed ea condire, ne à vermibus consumi possent *Herod. lib. 1. histor. Stobaus sermon. 120. de sepultura.*

Apud alios trientem in os defuncti, tanquam naulum imponere mos erat, quem apud inferos dari pro portorio opinio fuit, & vana superstitione creditum: Quod apud Hermonienses vetabatur, quia pronus inde ad inferos descensus erat quasi naulo non indigerent obituri. Gallis vero mutuam inuicem pecuniam dare, quam apud inferos, post obitum redderent in vsu erat. *Alex. ab Alex. lib. 3. Gen. dier. c. 7.* & Albanis pecuniam cum mortuis sepelire in loculis mos erat. *Idem auth. lib. 3. c. 2.*

CAP. V.

De more funerandi in ciuitate Sachion.

INcolæ huius vrbis, in parentatione his vtuntur ceremoniis Curant proximi quique, vt corpora exanimata comburantur, in hunc modum. Primo interrogant Astrologos, quando mortuus in ignem sit coniiciendus, dum illi quærunt, quo mense, die & hora, is qui in fata concessit, sit natus: constellationeque perspecta, indicant diem, quando sit comburendus. Alii vero mortuum corpus aliquot diebus reseruant, aliquando septē

diebus,

diebus, quandoque per mensem, non tanquam per sex menses, domi capsam illi parantes, & tali ingenio latera compaginantes, vt nullus fœtor ex ea exhalare possit, corpus etiam ipsum aromatibus condiunt, & capsam pulcre depictã panno pretioso operiunt, & singulis diebus cadauer domi tenetur, hora prandii mensa iuxta capsam præparatur, vino & cibo per integræ horæ spacium desuper positis, putantes defuncti animam de appositis manducare. Et quando defuncti corpus est efferẽd. astrologi consuluntur, qua ex porta id sit faciend. nam si porta aliqua, dum construeretur, caruit bonis fatis, illam indicant fugiendam, atque incongruam, per quã mortuorum cadauera efferantur, indicantque aliam, quæ huic rei accommoda sit, aut nouam iubent in pariete fieri aperturam. Dum vero funus per ciuitatem portatur, lignea tuguria in via construuntur, atque sericis & aureis pannis cooperiuntur, & cum defuncti cadauer ante ea portatur, effundunt in terram vina & delicata cibaria, putantes defunctum in alia vita his recreari rebus. Antecedunt etiam funus ipsum varia instrumenta Musices, in quorum concentu maxima est iucunditas, & cum ad locum combustionis ventum fuit, scribunt & pingunt super chartas imagines virorum; & mulierũ, itemq; multorum denariorum, quæ omnia simul cum cadauere comburuntur. Aiunt enim defunctum illum tot seruos, & ancillas, animalia & denarios, in altera vita habiturum, quot cum eo imagines fuerint combustæ, victurusque sit perpetuo in diuitiis illis & honore. Hanc superstitionem seruat fore vbique cæcitas paganorum, in partibus orientis, cum cadauera defunctorum comburunt. *M. Paulus Venet. lib. 1. c. 45. de ciuitate Sachion & combustione mortuorum.*

CAP. VI.

De Tartarorum more.

SI Tartari alicuius moriatur filius, qui nondum duxit vxorem, & item vlterius moriatur filia innupta, conueniunt vtriusque defuncti parentes, & inter defunctos

functos connubium faciunt, conscriptisque contractus illius literis, iuuenem & puellam in charta pingunt, & hanc cum pecunia contributa, atque vtensilibus & supellectili Vulcano deuouent, credentes defunctos in alia vita matrimonialiter coniunctos. Faciunt etiam pro hac re solemnes nuptias, & de præparatis cibis, nonnihil hinc & illinc diffundunt, vt sponsus & sponsa quoq; vescatur. Quo facto parentes & consanguinei defunctorũ talium putant, se affinitatis vinculo coniunctos, ac si nuptiæ illæ, sponsis adhuc viuentibus, fuissent celebratæ. *M. Paul. Venetus lib. 5. c 58.*

CAP. VII.

De Scythis pop.

SCythæ pop vt Plutarchus refert, cum mortuis regib. pincernas, cocos, ac pellices sepeliunt; Credo, ne quid necessarii officii post obitum eis desit. Et nonnullę etiam Indiæ gentes, cum defunctis viris amatas coniuges, vel alios quoscunque gratiores vel comburunt vel infodiunt. O rem non visu modo, sed dictu quoque abhorrendam, viuum hominem necare, ne mortuus amico aut ministro careat, cum reuera carere & egere non possit, qui nihil sentit *Franc. Patritius de instit. Reipub. lib. 5. part. 1.*

CAP. VIII.

Cur Clerici & Monachi mortem præ aliis ęgre ferant & perhorrescant?

QVærit *M. Antonius Zimara problem. 50.* Vtrum, respondet, quia natura eorum frigidi cordis extat, & melancholica est? An quia prorsus funditusque interire se animaduertunt, quandoquidem nec in propria, nec inposterũm natura consistunt, vbi ex vita migrauerint?

CAP.

CAP. IX.

Quare multa millia hominum vno die in bello occumbant, quamuis non eodem aſpectu aſtrorum nati?

QVod gemelli ſub eandem horam nati, diuerſis vixerint moribus in Eſau & Iacob, in Hectore & Polidamante compertum eſt. Quod vero multa millia hominum eodem die in bello oppetant, quamuis non eodem aſpectu aſtrorum nati, efficit illud infortunata ipſius Imperatoris exercitus natiuitas, alios ſecum ad bella trahentis, vt *Abraham Bea Eſdre affirmat*, aſtipulatur, & ſic reſpondet conuiuiatori cuidam Aſtrologiæ *Iacobus* Schonheintz / *Oſtro Francus in Apologia Aſtrologiæ.*

CAP. X.

De Medardo & Chilado duobus fratribus vno die defunctis.

A*Pud Fulgoſ. lib. 1. & ap. Eborenſem de miracul. traditur* Medardum Epiſcopum Nouiodunenſem & Chiladium Rhotomagenſem Epiſcopum fratres gemellos vno partu vnaque die natos, vna die Epiſcopatū adeptos, vna defunctos, vna ſanctis adſcriptos, in quorum laudem Simon Maiolus Epiſcop. Vulturarienſis hoc carmen conſcripſit:

Vna dies peperit, mitras dedit altera mortem,
Altera & in ſanctos lectus vterque fuit.
Felices fratres quorum communis origo
Vita, corona, obitus, gloria, feſta dies.
Quin communis erat mens & cor dicite, ſed vos
Corde vno poſſint corpora bina regi.

CAP. XI.

De Lupo & Apro duobus aliis fratribus.

PErſimile eſt, quod contigit, ſed infeliciore exitu, duobus aliis fratribus Lupo & Apro in quorum ſepul-

cro hæc carmina leguntur, apud Rauennam in sepulcro Theodorici regis in maris litore, templo S. Mariæ Rotundæ.

Vna Ioannina domus hos produxit alumnos;
Libertatis opus contulit vna dies.
Naufraga mors rapuit pariter quos iunxerat ortus;
Et duplices luctus mors periniqua dedit.

CAP. XII.

De Francisco Baudino Abbate.

ACcidit quandoque, vt qua die quis natus est, anniuersaria etiam moriatur, id contigit Florentino ciui, Francisco Baudino Abbati in aula Romana notissimo, vt qua die natus est, 19. Decembr. eadem postea sit defunctus, vt quater nouennalis numerus rebus suis acciderit, decima nona die natus, decima nona defunctus, ætatis annum agens vicesimum nonum, cum ageretur annus Domini 1579. quod annotauit, qui illi sepulcrale elogium conscripsit Romæ in æde S. Syluestri in Quirinal.

CAP. XIII.

Moribundi difficulter moriuntur in præsentia cognatorum.

MOribundos, si cognati astent, negant ob id mori posse, aut difficulter. Etiam in animalium mactatione, si quis misereatur torqueri diutius ferunt. Caussam in pahntasia ponunt, quæ quam plurimum valere ostenditur testimoniis Plinii, Hesiodi, Plutarchi, Hippocratis &c. iubent similitudines parentum, & liberorũ intueri, quorum conceptæ imagines tantum valeant, vt quam velint, fœtus accipiat, ex eodem arcano animorum motu pathemata in aliis excitari, vt non modo

cum lugentibus lugeamus, cum ridentibus rideamus, ſed & rerum plurimarum præhenſionibus originem eſſe, quarum nullum in nobis principium eſt. Moritur in remotiſſimis locis quiſpiam, vt in Hiſpania, eo momento quo moritur, præſagit animus hoc malum iis, quib. ſanguine iunctus eſt. Niſi id temere fieri dicatur, ab externo motore fieri dicatur, neceſſe eſt. At quia, vt plurimum euenit, cauſas alias quam caſum habere videbitur. *Martinus Weinrichius in comment. de ortu monſtrorum cap. 17.*

CAP. XIV.

Cur mortui ſepeliantur in locis ſacris?

GLoſſa aſſignat rationes. 1. Quia eorum proximi euntes ad illa loca, & aſpicientes, inuitãtur ad orand. pro eis *13. q 2. cum grauis.* 2. Quia ſpecialiter adiuuantur patrociniis, & orationibus illorum ſanctorum, in quorum honorem dedicata eſt illa Eccleſia, vt eadem *queſtio: non æſtimemus.* 3. Quia ibi minus à ſpiritibus immundis vexantur, vnde in cœmiteriis dicitur eſſe requies defunctorum. *12. q. 2. c aurum.* Contra Arbogaſtus Argentinẽſis Epiſcopus in agone petiit, vt iuxta patibulum ad imitationem Chriſti ſepeliretur, pio fortaſſe Zelo, ſed non diſcreto. *Balæus cent. 14 c. 81.*

CAP. XV.

Vtrum liceat requirere à moriente quod ſibi reuelet ſtatum ſuum poſt mortem?

TRactat hanc q. *Summa Angelica in verbo mors. §. 4.* & Reſp. ſecund. Thom. in quodlibet. Quod ſic: dũ modo hoc ſubintelligatur: *Si Deo placuerit* & hoc non fiat ex infidelitate vel dubitatione fidei. Animas enim defunctorum ſponte ſe viuis oſtendere, vt eis ſubueniatur,

tur, nihil igitur obstare, quo minus hoc à Deo postulemus. *Lauat. de spectris part. 2. c. 2.*

CAP. XVI.

De Baptismate mortuorum.

APostolus 1. *Corinth. 15. Alioqui quid facient qui baptizantur super mortuis. Si omnino mortui non resurgent? Vt quid & baptizantur super mortuis?* Andr. Osiander ibi. argumentum pro confirmanda mortuorum resurrectione. Respicit Paulus ad eorum consuetudinē, qui ad sepulcra piorum baptisabantur ; testificantes quod mori malint, quam Christianam religionem abnegare, *Illustriss. Cardinal Baronius in thesaur. antiquit. Eccles. Tom. 4. c. 67.* aliter. Nam postquam catechumeni si quispiam, inquit, apud eos excesserit, sub lecto mortui absconso aliquo, qui viuit, accedunt ad mortuum, & alloquuntur & rogant, velitne accipere Baptismum, deinde nihil illo respondente, qui est absconsus inferne, pro illo dicit, se velle baptizari, & sic eum baptizant, pro eo, qui excessit, perinde ac si in scena luderent, tantum valuit diabolus in ignauorum animis. Deinde cum accusantur, adducunt hoc verbum dicentes Apostolum dixisse, 1. Cor. 15. *Qui baptizantur pro mortuis &c.* Horum quoque causa fortasse in concilio Carthaginensi tertio, haut diu post celebrato, canone sexto monuerunt patres Africanam Ecclesiam, hæc cauenda, cum ista Canone sexto promulgauere: Cauendum est etiam ne mortuos baptizare posse fratrum infirmitas credat) accedit huic opinioni *Christophorus Rothmannus in declarat. de Baptismo. in fin.*

CAP. XVII.

De animabus interfectorum.

IOan. *Apocalyps. c. 6.* Animabus interfectorum propter verbum Dei & propter testimonium, quod habebant, datæ sunt singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc pausillum temporis,

donec complerentur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiendi essent, sicut & illi. vid. *Basil. Fabr. de animab. mortuor. c. 5.*

CAP. XVIII.

De animabus puerorum sine baptismate decedentium.

OPinio quarundam magarum mulierculaꝛum fuit, dicentium animas puerorum sine baptismate decedentium, vagari per mundum vsque ad diem iudicii vel post, verum ridiculosa est nulloque catholico fundamento fulcita. De pœnis paruulorum multa conscribit *Biel lib. 2. dist. 33. quæst. vnica. Paulus Cortesius lib 4. dist. 3. S Bonau. lib 4. dist. 45. art. 1. q. 1. Thomas Argentinensis ead. dist. in 4. Barthol. Sybilla in Spec peregr. q. 1. decad. q 2. q 5. c. 3.*

CAP. XIX.

De Tertia, Nona, Quadragesima mortuorum.

GRæci trina sua recordatione mortuorum, eis certis diebus iusta persoluere solent, vt in M. Crusii Turcogræcia refertur: Mortuis enim persoluuntur Tertia, Nona, Quadragesima. Tertia, quod mortuus die tertio immutatur, agnitione faciei amissa. Nona, quod nono die totum corpus diffluit, præter cor. Quadragesima, quod quadragesimo die ipsum cor quoque perit. Est etiam alia interpretatio ibidem, quæ recordationem istã trinam ad resurrectionem, apparitionem, & ascensionẽ Christi accommodat. Tertullian. lib. de fide resurr. dicit suo tempore, à Christianis obseruatum esse diem septimum, orationi destinatum pro mortuis, & in lib. de corona milit. loquitur de Trigesima, & quadragesima. Tempore Ambrosii obseruarunt diem sepulturæ, tertiũ, sept-

ſeptimum, & trigeſimum, pro defunct. orand. de more celebrandi triginta miſſas, pro defuncto & eius origine habet, *Baſilius Gradida Raguſa in tractato Della vergi- nita c. 30. p. mihi. 189.*

CAP. XX.

De canonizatione mortuorum.

SOlennis & antiqui inſtituti priſcis illis Ethnicis fuit reges de rep. bene meritos diuinis plane honoribus afficere, & in numerum diuorum referre, ſed longe ex- celſior honos habendus iis, qui vel fidem Chriſtianam, & pietatem proprio ſanguine, & ſacris inſtitutionibus tutati fuere. Inde legimus ſub Antoninis Chriſtianos conſueuiſſe celebrare memoriam ſanctorum martyrum agereque annuos, & ſolennes conuentus, ad eorum ſe- pulcra, vt teſtatur *Euſebius lib. 4. c. 15.* Et quod ſummi pontifices annua ſacra in memoriam martyrum inſti- tuiſſe credimus, illud nihil aliud fuit, niſi eos martyres decernere eſſe ſanctos, & inter diuos referre. Ne autem cuiuis liceret ex animi ſentētia hunc vel illum pro diuo colere, Alexander III. ſtatuit, vt nulli mortalium diui- nus honor in terris haberetur publice, niſi illi, qui prius ex Edicto Apoſtolico in diuorum catalogum eſſet ad- ſcriptus, quod inter decretales Epiſtolas tit. de reliquiis ſanctorum legitur. Ἀποθέωσις autem, & Canonizati- onis eiuſmodi formam, quam priſco ritu ſequuntur pontifices, cum fama miraculorum perciti, ſacras reli- quias, corpus & nomen alicuius ſancti venerari, & in ſanctorum numero referre conſtituunt, eandem eſſe comperimus, qua vſus eſt *Gregorius IX.* in conſecratio- ne & Canonizatione Franciſci minorum Patriarchæ, vbi in magna pop frequentia, pontifex hæc verba præ- fatus: *Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei patris & filii & SS. & glorioſæ virginis Mariæ & ſanctorum Apo- ſtolorum Petri & Pauli & ad honorem Eccleſiæ Romanæ beatiſſ. patrem Franciſcum quem dominus glorificauit in*

cœlis: de consilio Patrum nostrorum & aliorum Prælatorum in Catalogum sanctorum decreuimus, annotandum & festum in die sui obitus celebrari, statim Cardinales: *Te Deum laudamus* incipiunt, & post voces, laudes Dei depromunt, Papa de solio descendit, & cum Cardinalibus sanctum corpus de tumba leuauit, mira omnium alacritate. Hactenus *Crantzius lib 7. metrop. c.45. & lib 8. Saxoniæ c. 4.* Eadem solennitate Calixtus III. Vicentium Hispanum ordinis prædicatorum. Nicolaus V. Bernardinum Senensem, ordinis minorum in sanctos retulerunt Romæ Ex Platina vulgo fertur, Romæ Pontificem annum, in quo hanc sacram canonizationem celebrat, non superuiuere, & hanc opinionem exemplis Clementis IV. & V. & VI. Adriani sexti comprobant *P. Matthæus in annot. ad decis. Guid. Papæ q. 84.* Additio ibi. Quando agitur de aliquo Canonizando inquirend. est de vita & miraculis ipsius canonizandi, & super vita, & miraculis testes sunt inducendi, qui examinentur diligenter, & sigillatim vt in *c. venerab. & ibid. Ioan. Andr. de test.* in antiq. inquirendum est etiam, an illi, de quo Canonizando agitur, prior vita testimonium præbeat, pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus præstrenuis, vt *61. dist. miramur circa finem* de multis aliis est sedulo inuestigandus de quibus seriatim tangitur per domin. *Goffred in sum. de reliq. & ven. sanct.* Et notandum est, quod multi non sancti faciunt miracula, aut vi verborum, vt consecratio Euch. aut vi parentelæ, vt rex Franciæ; vel illi de domo sancti Pauli, aut arte magica aut ex charitate sola, vt dicit *Dom. Felin. in dict. c. venerab. de test.* De Canonizatione *summa Angelica in lit. C. Valerius Polydorus in Practica exorcistarum exorcizatione 7 p. mihi. 123.*

CAP. XXI.

De more laudandi mortuos.

ANtiquitus mortuos laudare moris erat, eiusq; primum autorem extitisse Valerium tradit Plut. in Publ. Nam is mortuum collegam maximis laudibus pro-

prosecutus est, ab eo tempore apud Rom. consuetudine receptum fuit, vt celebrium virorum mors, funebri oratione decoraretur. Fuerit ne id ante Valerii tempus apud Græcos receptum, valde dubitat Plutarch. Liuius etiam lib. 2 non minus hæsitat, extiterit ne apud Romanos eorum orationum inuentor. Postea vero talem apud Romanos morem obseruatum fuisse satis cõstat. C. Octauius Cæsar Augustus laudatus est pro æde D. Iulii à Tiberio, & pro Rostris sub veteribus à Druso Tyberii filio. Nec defuit vir prætorius, qui se effigiem cremati euntem in cœlum vidisse iurauit, vt scribit *Suet. in vit. Aug. c. 100. sub tit. dies mortis eius &c.*

CAP. XXII.

De loco religioso.

VBi est caput conditum, ibi est locus religiosus, & non vbi sunt corporum membra. Ita respondet *Paulus in l. cum in diuers. 44. D. de religios. & sumtib. fun.* Hinc Romæ dubitabatur, vtra Ecclesia S. Ioannis Lateranensis an D. Petri esset principalior in vrbe & in orbe? Et videbatur, quod Ecclesia S. Petri sit principalior. argumento ab ordine literæ, in reg. Cancellariæ Innocentiæ 8. Septima quæ primo ponit Ecclesiam S. Petri, quã S. Ioannis. *quotiens. de vsufr. c. mandato. de præben lib. 6. & quod ibi not.* sed contrarium est verum, & communiter tenetur in *d. c. fundamenta. de elect. lib. 6 & in c. 2. de præscript. lib. 6. & Clem. 2. & de elect. lite. c. futura. 12 q. 1. velut contrarium & c. sanctorum* 10. *q. 1.* tamen Glo. *in d. c. futura* vult contrarium, si bene intelligatur. Nam Ecclesia Lateranensis est principalior in vrbe & in orbe, quia primo fuit fundata, &c. vt vltra doct. *allegatur 8. l. cum in diuers. D. de relig. & sumt. fun.* vbi. Quod vbi est caput, ibi est locus religiosus, & non vbi sunt corporum membra, sed in S. Ioanne sunt capita SS. Petri & Pauli. Ergo &c.

CAP. XXIII.

De Epitaphiis & inſcriptionibus ſepulcralibus.

SOliti fuere antiqui, qui mos etiamnum hodie viget, virtutum vel etiam vitiorum cauſa celebratiſſimorū virorum, mulierum, iuuenum, virginum, puerorum, nomina, elogia, res geſtas, mortes &c. lapidibus ſepulcralibus inſcribere, eo fine, vt poſteri & lectores hunc vel ſimilem in modum, rerum, quæ narrātur vel deſcribuntur, ideam animo ſuo conciperent, & vt viderent exempla vanitatis ingenii humani, quibus iſte hoc, ille alio modo humo, vt Maro canit, ſe tollere, & nominis celebritatem, vel vt ipſi putabant, immortalitatem conſequi ſunt conati. Nam quam variæ ipſis mortuorum iam Epitaphiis, adhuc inſunt, ſæpe etiam de rebus vitioſis & friuolis gloriationes? quando alius corporis ſui formam, aut robur, alius ingenii ſui acumen, alius varias peregrinationes, alius eloquentiæ aut fortitudinis ſuæ vim, alius diuitias, & honores ſuos, alius ſuam in hoſtibus etiam ſepeliendis humanitatem, & pietatem, alius prælia & victorias ſuas, alius denique huius, alius alterius artis, vel virtutis, iactat præſtantiam, quæ tamē à morte immunem eorum præſtare potuerunt neminē. Quam varia quoque mortis genera repræſentantur, quando alius pie, alius impie, alius domi, alius peregre, alius ab hoſte, alius ab amico, alius per inſidias, alius per apertam vim, alius præcipitio, alius ſubmerſione, alius ſuſpendio, alius veneno, alius laboribus & vigiliis, alius ſegnitie & ignauia, alius morſu felis, aut canis, vel calce equi, alius iuuenis, alius ſenex, alius ſponſus, alius viduus, alius remedium quærendo, alius reſpuendo, alius cum ſpe vitæ melioris, alius deſperabundus, alius cur moriatur neſcius, alius denique αὐτοχειρ, aut alio caſu inaudito, & admirando perit. Et videre quoque eſt in iis, quam diuerſo affectu ſuperſtites mortem ſuorum

ferant,

ferant, alii enim irascuntur, alii indignantur, alii Deo ipsi maledicere non verentur, alii lamentantur, alii queruntur, alii mortuis blandiuntur, alii æquo animo spe resurrectionis se consolantur, alii mortuis commori, alii sua morte illorum vitam redimere, vt videtur, cupiunt, atque ita deinceps.

Epigraphas igitur tum antiquas tum recentes, qui velint, hos ego ad complura in hoc genere edita, selego volumina, in publico enim sunt *Epitaphia Georgii Fabricii, monumentorum Italiæ libri 4. à Laurentio Schrodero devulgati. Deliciæ Itinerum Nathanis Chitræi. Antiquitates Nemausenses Iacobi Grasseri antiquitates Parisienses Petri Bonfons. Inscriptiones marmorum totius Europæ Petri Appiani Cyriaci Anconitani Martini Smetii, &c.*

CAP. XXIV.

De Epitaphio quodam.

EPitaphium hoc ex veteri sepulcro & cadauere ante LX. annos prope Inculismam repertum est. Erat Lamina pretiosa circa regionem cordis vbi septem vocales Græcæ ita suas sedes vndiquaque variabant.

α ε η ι ο υ ω.
ω υ ο ι η ε α.
ε η ι ο υ ω α.
υ ο ι η ε α ω.
η ι ο υ ω α ε.
ο ι η ε α ω υ.
ι ο υ ω α ε η.

CAP. XXV.

De alio Epitaphio.

IN Templo cordigerorum seu fratrum minorum, Parhisiis hocce Epitaphium legere est.

Hic Nicolaus filius mini Ioannis de sancto Quirico ciuis ciuitatis Senarum. Qui obiit anno Domini 1338. Die dominica duobus Iouis die mensis August.

Corrozetus refert, quod Papa quondam decreuerit ingredi Parrhisios, ad diem Iouis Verum ob nimiam pluuiam coactus fuit differre in alterum diem. Ideoq; addidit vt propter reuerentiam istius ingressus licitum sit vesci carnibus, quamuis erat dies Veneris, & cognomen imposuit hinc septimanæ, *de duob. Iouis. P. Bonfons in antiq. Paris. lib. 2. c.* 11.

CAP. XXVI.

De monumento Adonizam serui regis Salomonis.

VAlentia est vrbs Hispaniæ, in qua plures inscriptiones veteres videntur, & pręcipue in arce. Anno Domini 1490. vt fertur, inuentum fuit sepulcrum vetustatis admirandæ, in eo cadauer, quod balsamo conditum hucusque fuerat seruatum, proceritatis non vulgaris, sed solito procerioris, habebat & hodie habet in fronte lineas duas literis Hebræis quarum sensus huiusmodi est. *Hoc est sepulcrum Adonizam serui regis Salomonis qui huc venit vt exigeret illius tributum & mortuus est.* Habes 1. Reg 4. c. Adonizam Salomonis seruum esse.

CAP. XXVII.

Tumulus infantuli bis mortui & nunquam editi.

MOrtuus ipse bis, at nunquam editus inferor vrna
Nam semel extincta matre quidem morior.
Mox vtero matris caeso diuellor, & infans
Rursum obeo infelix nomine quod careo.

Recenset Iac. Pontan. lib. 2. tumul.

CAP.

CAP. XXVIII.

De monumento Bononiæ in Italia

D. M.

BOnoniæ in Flaminia, regione Italiæ, extra vrbem in villa quadam tale conſpicitur monumentum, *Ælia Lælia, Criſpis, nec vir, nec mulier, nec androgyna, nec puella, nec iuuenis, nec anus, nec caſta, nec meretrix, nec pudica, ſed omnia. Sublata neque fame, neque ferro, neque veneno, nec igne, nec peſte, ſed omnibus. Nec cœlo nec aquis, nec terris ſed vbique iacet. Lucius Agatho Priſcius nec maritus, nec amator, nec neceſſarius, neque mœrens, neque gaudens, neque flens, hanc nec molem, nec Pyramidem, neque ſepulcrum, ſed omnia ſcit, & neſcit, cui poſuerit. Hoc eſt ſepulcrum intus cadauer non habens: hoc eſt cadauer extra ſepulcrum non habens, ſed cadauer idem eſt & ſepulcrũ ſibi.* (NB. In hoc Epitaphium commentarios ſcripſerunt Ioan. Turius, Brugenſis & Richardus Vitus editos Patauii apud Laur. Paſquatum.)

CAP. XXIX.

De Magica quadam imagine & Epitaphio.

PRope Florentiam in cœnobio S. Benedicti habetur talis figura Martis: Sub ſpecie reginæ depictus eſt, quæ diadema in capite ſeptem ſtellis inſignitum geſtat, pectus habet quatuor colorum, nigri videlicet, albi, flaui, & rubei: Sub pedibus illius duo fontes ſcaturiunt alter argento fluens, alter auro. Manibus oſtendit Epitaphium deauratis literis deſcriptum, dextra quidem, *De duabus aquis Facite vnam.*

Siniſtra vero: *Soluite corpora in Aquis.* quotquot enim in quã Solem & Lunam quæritis: porrigite inde inimico veſtro vt bibat, & continuo mortuum videbitis: Tum adiicite ipſi ſepulturam eius, idque in ore oſſati Leonis, & tandem aqua in terram conuertatur. Sic quidem lapis præparatur, ſi quis veri meum ſenſum percipit, omnes mundi diuitias ſibi ſubiectas habet:) Refert *Ioannes Sternhals. in duello ſolis & martis.*

CAP.

CAP. XXX.

Inscriptio sepulchralis antiqua: sit anima eius in fasciculo viuentium.

LOcus iste, quem animæ, relicto corpore, occupant, in veteri testamento vocatur *Fasciculus viuentium cum Domino* 1. *Sam.* 25. Insurgat licet homo, vt te persequatur, insidieturque vitæ tuæ, erit tamen anima domini mei ligata in Fasciculo viuentium cum Domino Deo tuo Inde antiquitus sepulcra inscripta fuere: *Sit anima eius in Fasciculo viuentium. Bas. Faber in libell. de animab. mortuor. c.* 7.

CAP. XXXI.

De hæreticis negantibus carnis resurrectionem.

CArnis resurrectionem negant Simoniani, Saturniani, Basilidiani, Carpocratiani, Vacentiani, Marcitæ, Ophitæ, Caiani, Sethiani, Archontici, Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ, Seueriani, Bardesanistæ, Heraclitæ, Seleuciani, Hermiani, Procliani. ¶ Carnis resurrectionem iam factam esse dicunt Hymeneus, Philetus, Menandriani. ¶ Animas quoque resurrecturas dicunt Arabici. ¶ Animas hominũ non dissolui quidem morte, sed in sepulcris dormire vsque ad diem resurrectionis Psychopannychitæ. ¶ Pro resurrectione inducunt μετεμψύχωσιν siue reuolutionẽ animarũ Basilidiani, Carpocratiani Marcionitæ, Origenistæ, Manichæi. ¶ Animas hominum sceleratorum transire in dæmones Tertullianistæ. ¶ Sadducæi nullã agnoscebant corporum resurrectionem *Matth*, 22. *v.* 23. *Marc.* 12. *v.* 18. *Luc.* 20. *v.* 27. *Act.* 23. *v.* 8.

CAP.

CAP. XXXII.

Pharisaeorum opinio de animarum transmigratione.

Iosephus lib. 2. capi. 12. Animarum μετάβασιν seu transmigrationem dicebant Pharisæi, non omnium sed bonorum, quæ permaneant, in bonorumque subeant corpora, malorum vero animas dicebant statim æterno puniri supplicio. Et ex priore illa parte, multiplex natus de Christo hominum sermo, quem tamen, eo ipso bonitate præditum, præstanti testabantur, quod in eius corpus eorum hominum, quos valde bonos credebant, animam ingressam putabant. *Nam Matth. 16. v. 14.* cum dicebant alii Ioannem Baptistam, alii Eliam, alii vero Ieremiam, aut vnum ex Prophetis *Nicolaus Serarius Tribaeres lib. 2. c. 3. n. 3.*

CAP. XXXIII.

De Sadducaeis negantibus resurrectionem mortuorum.

RVdis illa & cæca Sadducæorum sectaque Saluatoris & Apostolorum temporibus viguit, cuius sectatores corrupti Philosophia Græca, multa cum Epicureis habebant communia, palam carnis resurrectionem, angelos & spiritus impugnare, & negare ausi fuerunt, sicut ex sacris literis videre licet, cum tamen iusti vel iustitiarii ab omnibus nuncupari voluerint, *Zadde*, enim, *iustus* Hebræis est, vnde subdolo animo tentandi gratia, quæstionem illam, de muliere quæ septem viros in hoc seculo habuerat, quem eorum illa in altero seculo maritum esset habitura, proposuerunt *Matth. 22.* quib. respondens Christus, crassissimæ eos ignorãtiæ & inscitiæ arguit, quib. nec scripturę veritas, nec virtus Dei sit perspecta. Vnde Christus Sadducæos ignorantes appel-

lauit

lauit, quod viderint quidẽ, & forte veluti per transẽnã inspexerint, non vero diligenti trutina in timore Domini expenderint, ac propterea non intellexerint sacras scripturas. *Ioseph. lib. 18. de antiquit. Iudaeorum c 18. & lib. 2 de bello Iudaico c. 7. Epiphanius in haeresi Sadducaeorum.*

CAP. XXXIV.

De Atheniensibus, Caianis, Arconticis, Cerdonianis, Seuerianis resurrectionem negantibus.

ATheniensés, *quod Actor. Apost. c. 17.* legimus, audita à Paulo mortuorum resurrectione, cum stans in medio Areopagi verba vitæ æternæque salutis annunciaret, eum irriserunt & sugillarunt. Caiani etiam, Arcontici, & Cerdoniani hæretici vt *Augustinus de haeresib. c. 19. item 20 & 21.* scriptum reliquit, carnis & mortuorũ negauerunt resurrectionem: in quem sententiam & Seueriani hæretici teste *Isidor. lib. 8. Etymolog.* discesserunt.

CAP. XXXV.

De Dormitianorum errore.

DOrmitiani tenebant animas post discessum à corpore in somnum cadere, & dormire, vsque ad vltimum diem.

CAP. XXXVI.

De Pythagora, Platone, Albanensibus, Albigensibus: poculo animarum.

PYthagoras olim asseruit, animas transire de corpore in corpus, ita vt post vnius hominis mortem, anima illius ad aliud corpus vegetandum, atque fouendũ transeat. Et huic sententiæ impii Albanẽses adhæserunt. Eandem etiam hæresin postea amplexati sunt Albigenses. Hæretici sic dicti, quoniam ex comitatu Albigensi, prope Tolosam orti sunt, tempore Innocentii Papæ huius no-

ius nominis tertii. Quam sententiam secura adhuc fide & sola naturali ratione ductus, facile quisquis deseret, si consideret illam asserere animas nihil omnino eorum, quæ ante fuerunt, meminisse, oportebat siquidem eas meminisse eorum, quæ ante facta sunt Neque verisimile est, vt hoc imputetur corpori, ita vt corporis admixtio vniuersam ipsorum, quæ ante habita erant, in totum extinguat memoriam. Sicut enim in soporato & quiescente corpore, quæcunque anima apud se sola videt, horum plura reminiscitur, atque sæpe post multum temporis, ea quæ per somnium viderat, vigilans annunciat. Sic etiam reminiscetur illorum, quæ antequam in hoc corpus veniret, in alio corpore egerat. Quod si quis forte Platonem imitatus dicat, cum in aliud corpus animæ infundantur, eas obliuionis quoddam poculum, à nescio quo Dæmone oblatum bibere, quo euenit (vt ait Plato) vt præteritorum non recordentur. Hoc certe magis videtur poëtarum figmentum, quam Philosophorum, & multo minus Theologorum doctrina. Si enim obliuionis poculum anima bibit, quod in ea omnium rerum deleat memoriam, vnde ergo scit Plato animam suam à dæmone potatam fuisse, cum anima eius nunc sit in secundo corpore, & per hoc ex illo obliuionis poculo potasso? oportet, vt etiam illius poculi perdiderit memoriam, & per consequens, se potatum fuisse non recordetur. Quid si poculi illius obliuiscitur, vnde ergo tunc scit, se olim fuisse potatum? Si enim dæmonem & poculum, & introitum in corpus reminiscitur, cur non etiam reliquorum commemoratur? Ex quo aperte conuincitur, hanc doctrinam non solum à fide catholica, sed etiam à vera Philosophia esse alienam, quod manifeste ostendit *B. Athanasius in lib. quem edit de Filio Dei lib.6.* dicens; si quis confitetur, animas hominum in resolutionem, rursus in mundo, aut in hominibus aut in pecudibus, aut in serpentibus reuerti, anathema sit, *Hieronymus Mengus in fuste dæmonum, c.3.*

CAP.

CAP. XXXVII.

De Tito Lucretio Epicureo resurrectionem negante.

T. Lucretius, qui Epicuri doctrinam, atque ipsum Empedoclem est admiratus, & sequutus non solum mortuos ab inferis excitandosque, inque sua corpora denuo reducendos, sed etiam animæ immortalitatem negasse videtur, quando lib. 3. de rerum natura, animam natiuam & mortalem esse, vnaque cum corpore nasci, crescere & interire contendit. Satisque apud nonnullos constat Epicureorum sectam, resurrectionem vllam fore non concessisse. Idem hac de re impios sua ætate existimasse, testatur Salomon Sapient. c. 7.

CAP. XXXVIII.

De Plinio Epicureo.

PLinius etiam Epicureorum sectæ adhæsit, sic enim ait naturalis historiæ lib. 7. c. 55. Similis & de asseruandis corporibus ac reuiuiscendis promissa à Democrito vanitas qui & ipse non reuixit. Quæ, malum, ista dementia est iterari vitam mortemque &c.

CAP. XXXIX.

De Porphyrio.

NOn solum autem, qui animam mortalem esse credebant, resurrectionem corporum negauerunt, sed etiam qui superstitem à morte opinabantur. Porphyrius enim animam purgatissimam, cum ad patrem remeauerit, ad hæc mundi mala nunquam redituram dixit. At certe non ad mundi mala remigrabit, sed corpus suum recipiet, gloriosum iam factum atque immortale, nihil mali sensura, sed iudicio primum, mox æternæ beatitudini in cœlo semper affutura.

CAP.

CAP. XL.

De Brachmannis in regno Mogor.

VT refert *Emmanuel Pinnerus P.* in regno Mogor, Brachmanni non iugulant, nec mactant vaccas, sed pro matribus seruare solent. Credunt enim, quum moriantur, animas earum, si modo piæ fuerint, transmigrare in vaccas.

CAP. XLI.

De opinione Incolarum Insularum Malucarum.

REges Insularum Malucarum, à breui tempore aliam vitam in cœlo esse & immortalem esse animam crediderunt, edocti à Paradysi aue. Nam quia hæc auis nunquam videatur in terris, tenent eam alio in loco degere, & ob pulchritudinem in Paradyso, vbi etiam defunctorum animæ degant, & quia Mahometus quamplurima de Paradyso nugatur, dogma eius amplexi sunt. *Lycosth. in lib. 1. mirac. p. 31.*

CAP. XLII.

De Manichæis.

MAnichæi, vt ex Augustino liquet, de hæresibus, resurrectionem carnis fore negabant, pro qua corporum μετεμψύχωσιν substituebant, per quam humanæ animæ in alia corpora migrarent, eorum nempe, quos quisque in hac vita amasset vel etiam occidisset: vt qui muscam vel murem occidisset, in muscam vel murem mutaretur: atque vt vlterius delirare pergebant, contrariam sortem illic sortiretur homo, quam hic quisque nostrum habuisset: diues nimirum, in pauperem, pauper in diuitem renasceretur, sicut etiam Epiphanius hanc rē ridiculam notauit. Hinc superstitionis

huius asseclæ imitantes. Pythagoræorum nugas, & Encratistarum furores & hæresim, esum carnium vitarunt, eodem modo & ouorum & lactis, nefas arbitrati, ex vllo animantis genere quicquam degustare, ne vt salse Tertullianus bubulum de aliquo proauo quisquam obsonaret.

CAP. XLIII.

De Paganis.

CRedebant pagani, animas eorum, qui decedunt ante terminum constitutum, nempe per gladium iustitiæ interemti aut decollati, suspensi, aut submersi, errare ad illud tempus vsque quod victuri fuissent, nisi animaduersio obstitisset. *Natalis Taillepied de l'apparition. det Esprits, c. 21.*

CAP. XLIV.

Opinio Græcorum & Latinorum de animabus corpore solutis.

GRæci putant, animas corpore solutas, omnes mox in beatificam illorum sanctorum angelorum purgationem absque vlla media sancta, morosa, purgatione transire. ❡ Latini tenent, animas, pretiosa in conspectu Domini morte solutas morosa sancta quadã purgatione, quæ nondum beata sit, purgari. In hac purgatione tum de forma, tum de loco, tum de fine, apud Latinos discrepantia est. Quibusdam sensibilem cruciatum ex reatu dimissæ culpæ metuentibus, ac diffinientibus. Aliis autem, sicut interiori homini congruit, cum Augustino in sermone de verbis Domini duntaxat intellectualem disciplinæ ignem illum fore volentibus: pro secunda parte valde facit verbum Apostoli dicentis vniuscuiusque opus quale fuerit, ignis probabit. Talem igitur ignem illum dicunt, qui fundamentum, & super ædificata fundamento lignum, fœnum, stipulam diiudicare possit, & male super ædificata reprobare, &

olim

olim fundamento conseruare. *Basilius Phrysius in Farragine rerum Theologicarum de purgatorio proposit. 27. 28. 29. 30.*

CAP. XLV.

De Iudæis eorumque opinione de mortuis & resurrectione.

QVando anima à corpore discedit, secundum Hebræorum doctrinā, semper memoi est corporis, & tristatur de corpore, vtpote in quo habitationem, & sedem habuit suam. Et quamuis corpus post discessum animæ trunci instar ibi iaceat, scias tamen, si vis verus esse apella, corpus omnia adhuc audire, & scire quid in mundo fiat, & quando ipsum deuorant vermes, væ illud sentit, ac si acu pungatur viuens, ideo & vetitum ad cadauer & funus plura loqui, quam quæ ad eius necessitatem & honorem vergunt, ideoque & cœmiteria adeund. ad defunctorum sepulcra, vt misereantur viuentium, & Deum pro ipsis orent. *Molther. in Theolog. Iudai. c. 20. de resurrectione mortuorum.* Hinc cum Iudæi senserint animas separatas à corporibus errare, colligi potest, quod quidam ex Rabbinis scribunt, animam Nabothi (qui propterea ab Achabo interfectus fuit, quod Achabo suam vineam tradere nollet) fuisse spiritum illum, qui suam operam in decipiendo Achabo promittebat, vt qui expeteret eius interitum, *Lauat. de spect. p. 2. c. 1. in fin. Natalis Taillepied. citato loco.* Credunt vlterius Iudæi, adueniente Sabbatho, omnes mortuorum animas in inferno, à pœna & cruciatu quodammodo liberari, & quiescere, ideoque aliquot guttulas vini in terram aspergunt, dicentes Korach, Datan, & Abiran, quos terra deglutiuit, eo refrigerari, *vt refert Ernest. Ferdin. in Flagello Iudaorum part. 2. c. 4.*

CAP. XLVI.

Opinio Talmudistarum de morte.

TRadunt Talmudistæ, Satan angelum mortis morituris in lecto decumbentibus à capite astare, ac in manu strictum habere gladium, cui tres guttulæ acerbissimi fellis sint adglutinatæ, quem quo momento ægrotans intuetur, ipse totus attonitus, ac pene exanimatus suum dispandit os, tunc tres istæ guttulæ in passum os incidant, quarum vna ipsi mortē, altera pallorē, tertia putredinem adfert. Verū Veteres Rabbi Deo supplicasse, vt diaboli illius horribilem ac terribilem speciem morituris comparentem, in posterum depellere, quod ab ipso impetrarunt. Eundem etiam angelum mortis, per sacrosancta verba coniurarunt, vinxerunt, sinistrumq; oculum ei eruerunt. *refert Io. Buxdorff prof. Basil. in Synagoga Iudaica.*

CAP. XLVII.

De Arabicorum opinione.

ARabici hæretici, vt Isidorus lib 8. Etymol. retulit, animam cum corpore mori, atque nouissimo die vtrumque surrecturum asserebant. Aliorum secta fuit, qui occasione illorum verborum: *Multa corpora sanctorum, quæ dormiebant resurrexerunt*, nouissimæ diei exploserunt resurrectionem, nullamque aliam esse voluerunt, quam animæ resurrectionem, quæ fit per fidem & baptisma, iuxta illud *Qui crediderit in me transibit de morte ad vitam*: refertque Augustinus super Ioannem, omnes sectas, quæ religionem aliquam promittant: mentium in fide resurrectionem fateri. Tertullianus, in libro quem de carnis resurrectione posteris legendum reliquit, quosdam ait, suo adhuc vixisse seculo, qui resurrectionem iam esse factam asseuerarent, & futuram mortuorū resurrectionem in imaginariam fictitiamq;

distor-

distorquerent, ac luxarent, nullamque aliam fore prædicarent, quam eam quæ iam facta est, fitque quotidie nimirum cum quis mortis hoc est damnationis sepulcro relicto, in quo demortuus ac putridus iacebat, Dei accepta cognitione, quæ in vitam animas reducit, redanimatus ac reuiuificatus Deo resurgit, cuius quidem hæreseos olim assertores Hymenæus quidam, & Philetus fuisse perhibentur: de quibus *Paul. Ep. st. ad Timoth. poster. c. 1. Hieronymus Maggius de exustione mundi li. 5. c. 1.*

CAP. XLVIII.

Recitatio & iudicium Mahometis de morte.

IN Alcarano de aciebus hominum in die iudicii secundum Machon habentur hæc: *Conclude postremo, omnibus creaturis vt descripsi, dimissis. Quid fiet de morte?* Resp. Mutabitur mors in arietem, adducentque eam inter paradysum & infernum, eritque magna dissensio inter vtriusque incolas regionis. Nam pop. Paradysi metu mortis, morti machinabitur necem. Infernales vero spe mortis superstitem fore cupient, vincetq; pop. Paradysi & mortem occident &c. si ista ad literam, & vt sonant, intelligantur, quid stultius ac puerilius dici potest? Mors namque cum sit priuatio, nec aliquod positiuū, quomodo in arietem conuertetur, cum nec accidens in substantiam queat conuerti? insuper, quod nec esse habet, nec viuere, ei occidi non conuenit. Quomodo ergo optabunt mortem occidi? Amplius existentes in Paradiso, non erunt insipientiores existentibus in hoc mundo. Cum ergo sapientes seculi huius sciant, eos qui in Paradiso extiterint, non posse occidi, sed ibi in æternū certissime permansuros, id ipsum scient, qui fuerint ibi. Non ergo formidine mortis machinabuntur arieti mortem. Dictum est quoque, quod nullum irrationabilium animalium post iudicium erit. Postremo hæc fabula reuera tam fatuissime sonat, vt pudor sit, eam nar-

tare, aut contra eam arguere. Imo & in Alchorano interdum asseritur, quod ingredientibus Paradysum dicetur: *Intrate huc hic æternaliter permansuri.* Mortem ergo non verebuntur. Hæc contra doctrinam Mahometi vanissimam ac mendosam breuiter scripsit *Dionysius Rickelius de Lebis Carthusianus in sect. Mahomet. lib. 3. art. 18.*

CAP. XLIX.

Mortem naturalem differri posse Astrologiæ & medicorum præsidio.

PRobat Petrus Aponensis argumentationibus multis & testimonio Aristotelis, Galeni, Halii, naturalem vitæ finem non esse ab initio ad vnguem determinatum, sed vltra citraque moueri posse: idque asserit tum ex astris, tum etiam ex materia. Concludit his autoribus, rationibusque obitum etiam naturalem differri posse, cum Astrologiæ machinis, tum præsidiis medicorum, *Marsilius Ficinus de vita producenda lib. 2. c. 20.*

CAP. L.

De contemtu mortis.

DE contemtu mortis legat beneuolus lector orationem quam habuit Dux Massale Eleazarus, princeps Ensiferorum in Iudæa de immortalitate animarũ *ap. Fl. Iosephum de bello Iudaeorum lib 7. c. 28.*

CAP. LI.

An liceat Christiano homini mortem sibi optare?

MOrs prout mors est, optanda haut est, est enim contra naturam. Christiani autem interdũ mortem

tem optant, eo vt per eam ex hac ærumnosa vita in æternam gloriam peruenire queant Non properant ad mortem, vt desperabundi, & impii, qui quando non omnia ex votis succedunt, statim se diris vouent. Verum veri Christiani cupiunt, vt per mortem à tyrannide diaboli liberi, in libertatem filiorum Dei locentur. Interim tamen, à timore mortis, quem natura secum adfert, non sunt immunes omnino, naturæ enim nihil horribile, aut contrarium mage est, quam commutatio animæ & corporis Verum credentes, dum oculos suos ad beatam & immortalem vitam direxerint, quę mortē consequitur, facile vincunt omnem hunc terrorem. Nam qui vere in Iesum Christum credit, ita dispositus est, vt quoties mortis meminit, caput attollat, dum scit, diem redemtionis suæ appropinquare. Est quidem hæc vita, vt squalidus carcer, quē Christiani deserere desiderant, & ideo S. Paulus ad Philipp. scribit: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Cum autem ibi verbo *solui* vtatur, indicat terrenam hancce vitam immundam specum esse, in qua Christianus vinctus teneatur, & sic nequeat pacifica frui quiete, & cum Christo esse. Nam, quamuis Christus in hocce mundo semper nobiscum sit, attamen propter onus huius corporis & inquinationem animæ, quibus dehonestati & coinquinati sumus, impossibile est, vt in hac carne fructu nostræ beatitudinis quā nobis saluator noster peperit, totaliter frui debeamus, cum ille, qui nihil aliud quam vitam in hoc mundo curat, alius non sit, ac miser captiuus, qui amat vt in squalore carceris manus ac pedes vinctus insuper vermibus infestatus iacere, & fame perire valeat, imo vt quamuis sciat portas patere, exire nolit. Ex quibus discimus veram efficere fidem, vt mortem contemnamus, & etiam mortis prout par est, cupidi esse possimus. Contra signū est infidelitatis, cum quis pati nequit, vt mortis memoria fiat, siue quando mortis memores sentimus eas cogitationes in nobis dominari, vt per eas omne gaudium & solatiū ante hac vera patientia comparatū extinguatur. Si vero Christianus hoc modo mortē sibi optat, non

facit id vt sibi à Deo præstitutam & positam moriendi horam præuenire velit, libens enim & volens manet in loco, in quo Deus ipsum in hac vita posuit, vsque dum capiti suo Christo libuerit eum retinere, quia in vita sua Deo, & non sibi ipsi seruire studet: Et desiderium *Pauli Philip. c.1. v.23.* desiderium est fidei, ideoque voluntati Dei non contrarium. Summa, credentes desiderant mortem, ad indicandum, quod sint parati huncce mundum relinquere, quoties & quando Deo libuerit eos auocare, *Simon Galardus in 28. Christian. discurs. Gallica lingua editis c.25. de morte.*

CAP. LII.

Mortui an viuentes feliciores?

QVæstio est de mortuis hominibus, & an feliciores sint viuentibus? *Responsum est* sapienter neutros. Hi quidem perpetuo in vmbra mortis requiescunt, æternumque omni dolore ac molestia carent, æternaque in tranquillitate suauiter ociantur. Propterea bene scriptum est: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Hæc igitur est extrema felicitas mortis nostræ. Ergo si mortui infelices esse nequeunt, qui viuunt, possunt esse felices. Deterior est conditio morientium: Si enim soli sunt omnes, etsi reges & cum multis cadãt: sibi enim soli quisque moritur, & mori videtur. Solitudo vero, cum dolore iuncta acerbo, grauissima est, & intolerabilis. Nam solatium est miseris, socios habere pœnarum: at qui moriatur, etiamsi cum aliis mille moriatur, socium habere nequit: Ergo tunc vastitas est, atque solitudo miserrima. Ita viuentibus maxima est voluptas in societate, *Hieron. Cardanus de subtilit. lib. 19. de dæmonibus in fin.*

CAP.

CAP. LIII.

An animæ defunctorum sua exeant receptacula, & si sic, qui hoc facere poßint & etiam quis præfatas apparitiones faciat bonus vel malus angelus?

RESP. *Sanctus Doctor Thomas in 4. distinct. 45. q 1.* sic dicens, sed pondera verba, quia grauida sunt sententiis. Secundum, inquit, dispositionem diuinæ providentiæ, aliquando animæ separatæ à suis receptaculis egressæ conspectibus hominum præsentantur. Sicut Augustinus probat *libr. de cura pro mortuis c.16.* & de bonis exemplificat, vt de sanctis in cœlo, & hoc etiam credi potest, quod aliquando de damnatis contingat, quod ad eruditionem hominum & terrorem permittuntur viuentibus apparere, aut etiam ad suffragia expetenda, quantum ad illos qui in purgatorio detinentur; vt per multa exempla patet *4 lib. Dialog. B. Gregorii.* Nam glorificati, quando volunt, sed alii, non nisi quando permittit Deus, nobis apparere possunt, quia ita sunt pœnis oppressi, vt de sua miseria magis doleant, quam curent viuis apparere. Et quamuis aliquando animæ sanctorum, vel damnatorum præsentialiter assint, vbi apparent, non tamen credendum est, hoc semper accidere. Aliquandu huiusmodi apparitiones fiunt, vel in dormiendo vel in vigilando, operatione bonorum vel malorum spirituum ad institutionem vel deceptionem viuentium. Sicut etiam & viui homines aliquando aliis apparent, & eis multa dicunt, in somnis, cum tamen constes eos non esse præsentes, sicut Augustinus per multa exempla probat, lib. de cura pro mort. c.12. *Hæc de Thoma. Ioannes Heider in Tormicor. lib.5.c.1.*

CAP. LIII.

Qui homines viuentes sint mortui?

AVdis quempiam sermones impios tumidos, maleficos, impudicos, obscænos proferentem, verbis

rabiosis in proximum debacchantem, caue, putes isti homini viuam esse animam, iacet in sepulcro pectoris putre cadauer, vnde eiusmodi fœtores exhalantur, & proximum quemque inficiunt. Christus Pharisæos sepulcra dealbata vocat. Quid ita? nempe, quia mortuam animam secum circumferebant. Et regius ille Propheta, sepulcrum inquit, patens, guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Piorum corpora templa sunt SS impiorum sepulcra cadauerum, vt potissimum in eos quadret illa Grammaticorum Etymologia, σῶμα q. σῆμα, sepulcrum pectus guttur & os hiatus sepulcri *Erasm. Roterodam. in Enchirid. militis Christiani. Canon vigilandum esse in vita.*

CAP. LIV.

De resurrectione probatio ex naturalibus.

Mirabilia sunt opera naturæ, florent enim arbores, germinant & fructificant, & maturescunt fructus eorum, & maturi colliguntur, & postmodum determinato tempore, depositis foliis videntur arbores aruisse. Sed redeunte vere iterum reflorent, & reiterant supra dicta, hæc enim omnia experientia intuemur, licet mortuum naturæ in talibus occulte operantem minime videamus. Spiritualiter quod dictum est de arboribus, per quandam similitudinem intelligendum est de hominibus, videmus enim de huiusmodi irrationalibus arboribus euenire hæc omnia. Florent enim in pueritia, fructificant in iuuentute, maturescunt in senectute, & colliguntur, & depositis viribus humanis arescunt per mortem, veruntamen adueniente vniuersalis resurrectionis vere iterum resurgent *Iob 14.* Nec est aliquid diuinæ potentiæ impossibile. Nulla est in mundo natio sanæ mentis, etiam non credens Euangelio: cui ambiguum sit, Dominum aliquos ante Christi aduentum resuscitasse, dico credentibus antiquæ scripturæ. Si igitur Deus tunc potuit aliquem resuscitare, eodem modo poterit & omnes suscitare, quando volet, quia non est plus resuscitare omnes, quam vnum apud Deum,

non

non plus creare totum mundum, quam vnum paruum lapidem, apud diuinam potentiam.

CAP. LV.

De tempore quo resurrectio futura.

DIem & horam resurrectionis quod attinet *Albertus Patauinus* creditum esse refert resurrectionem omnium hominum fore die paschatis, nimirum, qua Christus Ecclesiæ caput resurrexit. Vnde in primitiua Ecclesia, quod *Isidorus* scriptum reliquit, Christianos eam noctem quotannis totam insomnem duxisse. Itē media nocte iuxta illud Matthæi: *Media nocte clamor factus est* &c. *Lactantius Firmianus lib. 7 c.19.* Christum dicit contra Antichristum, & Tyrannos intempesta nocte aduenturum, probatque *Sybilla* carmine. Venturum vero nocte tenebrosa vt in toto terrarum orbe lumen descendentis Dei tanquam fulgor appareat, mox sic inquit: Hæc est nox, quæ à nobis propter aduentum regis ac Dei nostri peruigil celebratur. Cuius noctis duplex est ratio, quod in ea vitam tunc recepit, cum passus est, & postea orbis terræ regnum recepturus est. &c. Errat tamen Lactantius cum Sybilla sua, quandoquidem Christus *Marci c.9.* testatus est, neminem scire, venturus ne ille sit vesperi an medio noctis, an in gallicinio, an diluculo Et Matth. illud *Media nocte clamor factus est, &c.* pro insperato tempore ponitur.

CAP. LVI.

An duas fore resurrectiones credendum sit?

LActantius Firmianus duas fore resurrectiones lib. 7. aperte fassus est, in cuius sententiam iuere aliqui, etiam sancti Doctores, è quibus est Methodius Martyr, ducti auctoritate *Ioan. Apocalyps. cap. 20.* vbi aperte

aperte ostendere videtur primum sanctos Martyres esse exuscitandos, eosque cum Christo in terra mille annis regnaturos: Et post mille annorum consummatione, reliquos omnes mortuos, qui in priori exsurrectione expergefacti non fuerint, esse exuscitandos. Cherinthiani haeretici à Cherintho quodam sectae authore sic nuncupati, mille annos post resurrectionem fore dicebant, *vt Isidorus lib 8. Etymol.* scriptum reliquit, & relatum legitur in nostro iure pontificio *caus. 34. q. 3. c. quidam autem.* vnde Chiliastae, latine vero milliastae à mille annorum spacio sunt appellati. In quam sententiam Cabalistae, & Sarraceni, qui Mahometicam legem obseruant, discesserunt. Sed talem opinionem Hieronymus in explicationibus suis in Ezechielem, & in Daniele reiiciendam esse testatur, Primasius in Apocalyps. priorem resurrectionem pro animae à peccatis resurrectione accipit: angelum qui diabolum alligauit, pro Iesu seruatore nostro, cum humanum corpus induit: Mille annos, vel pro annorum millenario, quantumcunque vsque ad finem seculi protaletur: Sequuturo deinceps Sabbatho, quod non habet vesperam &c. *Hieron. Maggius de exustione mundi lib. 5. c. 5.*

CAP. LVII.

De quantitate resurgentium.

INfantes mortui ad illam corporis magnitudinem resurgent, non in qua mortui sunt, sed ad quã peruenissent, si vsque ad perfectam aetatem vixissent, augente & perficiente diuina virtute illam corporis quantitatem, quam ab ortu ipsorum secum traxerunt, in potentia, dicente Apostolo: *Ephes. 4 Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filii Dei in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Ita & Deus hanc paruam carnis molem, qua velut semine vtetur ad perfectam sui corporis quantitatem, augere poterit, & tamen erit vna & eadem, non diuersa caro; sicut & infantis cor-

tis corpus, quod à natiuitate est paruum, & nutrimento augmentatur, indies fit magnum, & tamen semper est eadem caro.

D. Augustinus vlt lib de ciuit. Dei c 15 respond. ait: suam recipiet quisque mensuram, quam vel habuit in iuuentute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si ante defunctus est In tali equidem iuuentutis ætate, sc. quæ circa 30. annum currit, Christum resurrexisse legimus Apostolo autem teste, omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi ei occurremus, in mensuram, inquit non corporis, sed ætatis.

CAP. LVIII.

De pondere corporum resurgentium.

NEc impossibile existimes, hominem tunc cum corpore suo super omnes cœlos ascendere posse, quia caro sit grauis, & grauioribus non superior, sed inferior locus naturaliter redditus sit. Turpe enim est credere, carnem iustorum eius ponderis surrecturam, cuius nunc eam esse cernimus, quo depressa ad paratas sibi sedes euolare non possit: Caro enim, quæ optimis sanctisque animæ studiis hic obsecuta fuit, ob tantum obsequium futurorum quoque illius bonorum particeps erit. Propterea, quoniam anima ob diuinum illud & indeficiens lumen, in quo penitus deficiet, & quodammodo transmutabitur, splendissima claritate fulgebit, ex hac claritate animæ, & ipsum eius corpus miro splẽdore corruscabit, cuius tanto maior erit claritas, quanto maior erit animæ gloria. Quod prædixit Christus, cum ait, *Matth 13. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* & hoc est, quod dicit etiam *Apostolus 1. Cor. 15.* seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria. Deinde quoniam anima ex diuina visione, qua fruetur, plenum finem, & consummatã omnium desideriorum suorum quietem accipiet, quem certe finem non cõsequeretur, si corpus propria adhuc molis infirmitate impe-

impeditum, eiusdem desideria exequi non posset, ad motum & imperium animę agendo, & se ipsum mouendo, propterea animæ beneficio, agilitatis munere dotatum, omnibus animæ desiderio præsto erit, vnde dicit Sapiens 3. *Fulgebunt iusti & sicut scintillæ in arundineto discurrent. & Apost. 1. Cor. 15. seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Tum quoniam anima Deo fruens, & illi perfectissime adhærens, consequetur maximam Dei formitatem, iuxta testimonium Ioannis 1. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est,* sic & corpus animæ iam perfecte subiectum, & particeps eius perfectionum, summam spiritualitatem, seu subtilitatem consequitur, non quod in spiritum vertatur, ac propterea impalpabile, & invisibile futurum sit, quin potius propriam naturam retinens, perfectionem animæ per beatitudinem Deo similis effectæ participabit, & hoc est quod dicit Apostolus *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

CAP. LIX.

De osse ex quo resurrectione inceptura.

NOnnulli occultæ Philosophiæ sectatores resurrectionem fatentur, sed hominem ex quodam pedis osse, tanquam ex semine reparandum dicunt. *Andreas Vesalius c. 1. Epit.* suorum de humani corporis fabrica librorum sic habet: Quia etiam in pede, quem homo quadrupedibus multo breuiorem obtinet, totidem, ac in manu exigua occurrunt ossicula, quæ sesami semini comparamus: quanquam primo pollicis internodio, hic duo longe grandiora, quam in manu subiiciantur, horumque interius illud sit, quod occultæ Philosophiæ sectatores corruptioni neutiquam obnoxium esse affirmant, & tantisper in terra asseruandum nugaciter contendunt, dum id resurrectionis tempore seminis modo hominem producat. Hactenus *eruditissimus Vesalius.* Thalmudistæ hæretici, aliique auctores Hebræi, de resurrectione & osse sic effutiunt. Hominem enim nouissima die reparand. regenerandumque putant, ex osse

osse quodam incorruptibili,(hoc quidam iuxta Caluariæ basim, siue in ipsa basi aut nuca vocata esse cõmenti sunt, alii primam è vertebris duodecim, à quo thorax initium habet, qua cum caput collumque inclinamus, maxime eminet, extuberatq;) quod ipsi *Luz* appellant. Sed erit operæ pretium retulisse, quæ leguntur. *c 28. libri qui Beresith Raba* inscribitur, in explicatione ad hæc Gen c. 6. quæ adscribemus verba: *Delebo hominẽ, Quem creaui, à facie terræ &c.* Rabi Ioanan, ex Rabi Simone, ex filio Iozadach retulit etiam, os illud dorsi vertebramque illam cui *Luz* nomen est, ex quo Dominus Deus futuræ resurrectionis tempore hominem pullulare facit esse abolitum. Quæsiui, ait Hadrianus, ex Rabi Iesue, filio Aninæ, ex quanam re Dominus Deus tempore futuro hominem producturus sit? Qui respondit: Ex osse quodã humani dorsi ꝙ Luz nuncupatur. Vnde hoc sciret, percontante Hadriano, Iosue ipsum rogauit, vt prę-notatum os afferri iuberet, & se experimento rem declaraturum. Os igitur illud molæ subiectum, atteri, exterique non potuit: Igni impositum, non est exustum, in aquam coniectum non est resolutum: ac demum incudi appositum, & malleo percussum, tantum abest, vt parte aliqua atteri, imminuique potuerit, vt prius incus diducta dirutaque sit, & malleus contractus, quam ossi quicquam defuerit: *Hæc libri illius autor. refert Hieronymus Maggius de exustione mundi lib. 5. c. 1* de mortuorum resurrectione.

CAP. LX.

Quomodo deuorati à bestiis resurgent?

NEc te à resurrectionis veritate retardet, quod multos homines tam terrenæ, quam aquatiles bestiæ comederunt, qui cum in ipsorum animalium nutrimentum mutati fuerint, quomodo resurgent? si neque eorum puluis vsquam existere videtur. Animalia enim bruta non resurgunt. Vnde si credis, ꝙ corpus hominis

morte

morte naturali consummatum, & in puluerem, vel in auras, vel in elementa solutum, possit interim Deus instaurare, & ad priorem vitam reuocare, idem credas de corporibus à bestiis eiusmodi deuoratis. Quia moriuntur bestiæ, & earum cadauera, vel in puluerem & arenā maris, vel in humorem vel in elementa transibunt, & ex his nouerit optime Deus, quæ ad corpus humanum ab iis comesum, pertineant, quæ fuerint illius corporis partes, & illa ad eiusdem corporis compagines vitamq; retrahere poterit. Quod his verbis Diuus testatur Augustinus *lib. de ciuitat Dei 22. c. 20.* Absit, vt ad resuscitanda corpora, vitæque reddenda, non possit omnipotentia creatoris omnia reuocare, quæ vel bestia vel ignis absumsit, vel quicquid in puluerem cineremque collapsum, vel in humorem solutum vel in auras est exhalatum. Absit, vt sinus vllus, secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, vt omniū creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem. Nam si Deus (vt ex Philosophis diffinit Cicero ab ipso Augustino ibi citatus) est mens quædam soluta, & libera, secreta, ab omni concretione, mortali, omnia sentiens, & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno, quomodo aliquid vel latet omnia sentientē, vel irreuocabiliter fugit omnia mouentem? Quod autem piscib. imperare possit Deus, & ipsi euomituri sint corpora, quæ deuorauerint, exemplo in Iona probatur, & confirmat Dauid *Psal. 138.* cum dicit, si habitauero in extremis maris, etenim illic manus tua, deducet me, & Ioannes *Apoc. 20.* & dedit mare mortuos, qui in eo erant,

CAP. LXI.

Legimus nonnullos interdum fuisse homines qui fame compulsi hominibus vescerentur, quomodo dicere posses resurget comedens & comesus?

HIc si carnem suam in resurrectione deposcet, quomodo illam consequetur si comedentis corporis pars

ris pars effecta est? & si carne sua vestietur; comedens in qua carne resurget? cum caro illius in aluum istius recepta, & calore percocta, & per membra diffusa vniuersum corpus istius vegetauerit, & in carnem suam versa fuerit? *Potest Responderi*, quod si homines isti carnes mandere potuerunt, ossa certe non potuerunt, & tunc dicitur, quod ossa illa non comesa, ad resurrectionem veri & proprii corporis sufficiant; habent enim, nescio quam, latentem in se virtutem, quæ & si per seipsam solam visceribus & pelle ossa illa operire non posset, si tamen illi virtuti virtus diuina accedat, & id fieri iubeat, excitabitur latens illa, & nob. ignota virtus; carnes proferet; iis venas sanguinis per omne corpus discurrentis; admiscebit & hæc omnia, pelle concludet, nec credas quod his ossibus aridis plus tribuatur, quam veritas ipsa concedat, exempla in sacris sunt. *Ezech. 37.* Nonne vidit ossa multa valde super faciem campi, siccaque vehementer? & dixit ei Dominus, *Fili hominis putas ne viuent ossa ista?* Et dixit Ezechiel: *Domine Deus tu nosti* &c. Rursus exemplum sumatur à virga Aaronis, quam vna nocte germinasse, & ex ea turgentibus gemmis flores erupisse; quos foliis dilatatis in amygdalas deformatos legimus *Num 17.* sed dices, si ossa sic carne vestientur, caro ista non videtur propria earum caro. Dicitur, quod erit, Nam sicut modicum fermentum multam farinæ massam vim habet fermentandi, ita, vt totam massam fermentum faciat, & in propriam eius substantiam conuertat; ita virtus his ossibus latens, diuinaq; iubente virtute vim habebit efficiendi carnem, quam germinabit ossium illorum propriam. Sed si eiusmodi homines, cum carne, ossa etiam deuorare potuerint. *Resp.* quod in hac comestione, duo consideres, scilicet carnem, quam fames in comedente consumserat, & carnes alterius hominis, quos fame compulsus ipse comedit. Quicquid igitur carnium, in comedente exhauserat fames, vtiq; in auras fuit exhalatum, & caro quam comedit, in eius carnem fuit conuersa, atque mutata. Volente igitur Deo, quem credimus posse

T reuoca-

reuocare quod fugit, reddetur caro illa comesa homini, in quo esse caro humana primitus cepit (ab illo quippe altero, tanquam mutuo sumta, deputanda est, quæ sicut æs alienum redhibenda est, vnde sumta est) sua vero illi, quam fames exinaniuerit ab eo, qui potest etiam exhalata renouare, reddetur: vlteriora de his agit *Hieronymus Paphius in libello de resurrectione.*

CAP. LXII.

An mortui in resurrectione differant?

QVod beati in gloria habituri sint differentiam, demonstrat Saluator noster hisce verbis Ioan. 14. *In domo Patris mei multæ mansiones sunt.* Et Apostolus 1. Cor. 15. expresse dicit. *Sunt corpora cœlestia & sunt corpora terrestria. Sed alia quidem gloria cœlestium, alia autem terrestrium, alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum & stella à stella differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum.* latius de hac differentia *Basilius Giradi, in tractato della verginita c. 16. p. 78.*

CAP. LXIII.

Sexu vt nunc inter se diuersi an futura beatorum corpora.

SExus discrimen ideo à natura factum est, quo hominum diuturna fieret propagatio, numero nunc, non specie caducorum: Sed quia tunc erunt immortales, angelisque, qui generatione mutua non propagantur, & sexu non differunt, similes: nulla opus erit corporum coniunctione, & membrorum pudendorum nullus est vsus futurus. Vnde euinci videtur, sexus discrimina haudquaquam esse reparanda, vel saltem credendi ansa præbetur, masculos omnes cum mulieribus viros futuros. August. lib. 22 de ciuitate Dei c. 17. nonnullos refert

(quod

(quod legatur ad Ephes c. 4. *donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi & conformes imaginis filii Dei*) censuisse fœminas in fœmineo sexu non resurrecturos, sed virili: quoniam Deus solum virum fecit, ex limo, fœminam ex viro. cui addi potest, digniorem viri sexum videri, quia vir, vt ap. Paul. *1. ad Corinth. 11.* legere est, est caput mulieris, & gloria Dei, atque imago, propterque virum mulier condita est, quibus accedit, q̄ ad instituendum hominem & animarum corpus mas (vt Aristoteles testatur lib. 2. de generatione animal. c. 4.) vim creandi, & q. formam præbet, fœmina vero materiam & alimentū. Verum suum sexum tam fœminæ, quam mari restituend. esse magę credendum: primum, quia nec capillus periturus dicitur, (quamquam dictum hyperbole omnino non vacat) vt Luc. c. 21. legimus: deinde quia omnia membra digna sint resurrectione, eo, quod omnia cum animab. mundi labores & ærumnias ꝑpter Christū pertulerint, faciantque ad hominis naturam, quamquā, si fœminarum fiat metamorphosis in mares, nihil decedet corporibus, quin magis accedet. Adstipulatur Augustinus in *libr. de Eccles. dogmat. c. 87. & c. 17.* dum in hæc verba loquitur. Sed mihi melius sapere videntur, qui vtrumq; sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa. Nam priusquā peccassent, nudi erant, & non confundebantur, vir & fœmina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura seruabitur. Non est autem vitium sexus fœmineus, sed natura. Erunt corpora fœminea, non accommodata vsui vteri, sed decori nouo, quo non adiiciatur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia, atque clementia, qui & quod non erat, fecit &c. *Isidor libr. de Ecclesia offic. posterior. c. 23.* non naturam, vel sexum mutandum esse dicit, sed tantum fragilitatem, & vitia esse deponenda.

CAP. LXIV.

An mortui resurgentes sese mutuo agnituri sint?

RESpondetur quod sic, per subseqq. Adamus adductam ad se coniugem cognouit, dicens esse carnem de carne sua, & os de ossibus suis. Ita in perfecta vita nos cognoscemus. 2. Agnouerunt post resurrectionē Christum Apostoli. 3. Agnouit Petrus adhuc in hoc mortali corpore Heliam, & Mosen, in monte Thabor, *Matth 17.* 4. Lazarum in sinu Abrahæ & ipsum Abrahamum cognouit in inferno Diues. 5. Tunc ait *Paulus 1 Cor.13* sicut cognitus sum, cognoscam, & vere cogniti sumus à Deo &c. 6 Charitas ibi manebit perpetuo. 7. Discumbemus cum Abraham, Isaaco, & Iacobo, in regno Dei. 8. Multi sancti resurgentes cum Christo, multis apparuerunt in ciuitate sancta. 9. Ait Abrahamus ad diuitem. *Fili recordare quod bona habueris in vita tua.* 10 De Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, atque de Daniele rege, & aliis legitur, quando illorum mors describitur: *Et collecti sunt ad patres suos.* Ergo etiam in altera vita habuerunt notitiam suorum maiorum proauorum & parentum. Ita quoque & nos eorum habebimus notitiam, *Augustinus in Epistola ad Italicam viduam* quam consolatur propter mariti mortem, audet ex eo scribere, quod Apostolus dicat: Quod ex parte est, abdebatur, & tunc erit perfectio: ipsam, sicut hic externis oculis vidit maritum, tunc in ea vita cor eius, & omnes sensus & cogitationes mariti cognituram esse.

CAP. LXV.

Corpora beatorum sint ne sanguinem habitura?

A*Lbertus Patauinus* Christum censet, cùm à mortuis exurgeret, effusum in crucis patibulo sanguinē

&o-

& omnia, quæ ad humanam spectant naturam, recepisse: Sane ipse postquam gloriosus à mortuis exuscitatus est, se carnem & ossa habere testatus est, sanguinis autem nullam fecit mentionem, *Lucæ vlt. c.* Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum. Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Verum & si sanguinis non meminerit, non propterea se sanguine prædditum esse negauit Ea enim protulit illa verba, quo certiores Apostolos redderet, se non spiritum esse, quod illi existimabant, sed verum Christum exuscitatum, quandoquidem si non de eius corpore, sed de aliquibus corporis partibus addubitassent, atque ipse in ea verba esset loquutus, vtique se sanguine destitutum arguisset. Accedat, quod qui viuit, & se carne atque ossibus præditum affirmat, tantum abest, vt sanguinem, ligamenta, cartilagines, cæteraque, quibus viuentis corpus constat, se neget habere, vt magis illa quoq; in se esse contendere videatur. Adhæc, quia sanguis abditus est, atque ideo in tangendi cernendique sensum non cadit, nisi venæ admodum tumescant, manifestaque caro conspicitur, seque oculis obiectat, & cum subditis obnuptisque ossibus sentitur, atque hæ portiones cæteras mole in corpore exuperant, ideo Christus ipsarum mentione contentus fuit. Pro explicatione huius q. legantur, *quæ à Domino Dominico Veneto olim Episcopo Torcellano in tractatu de sanguine Christi relata literisque & memoriæ consignata sunt.*

CAP. LXVI.

1. Cor. 15. Si Christus resurrexit & nos resurgemus, & si nos non resurgemus, neque Christus resurrexit.

NOn enim verbum Dei, quod mortuum non erat, sed homo, qui passus & mortuus, & in sepulcro conditus fuerat, resurrexit, & in illo surrexit omnis homo. Hanc consequentiam probat *Oseas* 5. quando dicit.

In die tertia suscitabit nos & viuemus in conspectu eius. Nunquid omnes mortui tertia die cum Christo corporaliter surrexerunt? Non equidem, quomodo igitur tertia die suscitauit nos? Quia tertia die resurgente ipso surrexit in ipso humana natura, sicut & in primo homine peccante cecidit omnis homo, qui in eo erat.

CAP. LXVII.

Expositio vers. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Psalm. 15.

NOnnulli, quos refert Irenæus, inferos dixerunt hunc mundum, ratione cœlorum, qui sunt superiores, & dicunt quod non derelicta est anima Christi in inferno, quia relinquens hic corpus in supercœlestem locum ipsa ascenderit. Horum sententia impia est & hæretica. Nos infernum dicere debemus, inferiores terræ partes, ad quas vere descendit secund animam Christus. Patres nostros, qui originali peccato astricti, gloria carebant æterna, & in sinu Abrahæ aduentum eius exspectabant, perpetua libertate donaret, & ad Tartareas sedes se recipiens, ibi fortem armatum ligaret, & eius prædatrices terreret legiones. Vtrumque fecit, quoad patrum in tenebris, & vmbra mortis sedentium liberatorem, & mortis ac Satanæ victorem se declararet, sicut scriptum est. Psal. 88. *Humiliasti sicut vulneratum superbum in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos* Psalm. 67. *Ascendisti in altum cœpisti captiuitatem.* Zach. 9. *Tu quoque sanguine testamenti tui eruisti vinctos de lacu in quo non est aqua.* Sicut enim animæ dormientium patrum, non in hoc mundo, sed in sinu Abrahæ vere quiescebant, & vere Satanas erat in inferno, ita & anima Christi, quæ hunc ligando sibi subegit, & illos liberauit, vere descendit ad inferos, solutis inferni doloribus

tertia

tertia die ad corpus suum reditura. Et quomodo teneri poterat ab inferno, qui nihil debebat inferno. Hinc statim sequitur (*nec sanctum dabis tuum videre corruptionem*) tum quia ad idem corpus erat anima celeri festinatione reuersura, tum, quia vnitum erat illi verbum, quod corpus assumtum seruabat incorruptum. De numero horarum quibus fuit Christus in corde terræ, pro ratione locorum, & operum proprietate distributo habet pulcre *Hieronymus Paschius Saxolensis in libell. de resurrectione ad suprad. Psal. 15.*

CAP. LXVIII.

An abortiui fœtus baptizentur.

ABortiuos fœtus nisi motus alicuius speciem præ se ferant, non baptizat Ecclesia, quasi animæ præsentia, non aliter, quam per motum agnosci possit, neque sensus, vbi motus non sit, *Francis. Vallesius de sacra Philosoph. c. 79.*

CAP. LXIX.

An abortiui resurgent?

A*Vgustinus in Enchiridio ad Laurentium c. 86.* docet, an abortus eiecti resurrecturi essent, distinguendū autem putauit: nam si vixerunt, & mortua sunt illa corpora, resurgent, omnes enim mortui resuscitabuntur, non aliqui, qui non vixerunt, non resurgent. Non enim anima sine corpore. Formatos etiam ab informibus separat. Formatos resurrecturos tantum, non informes, quoniam quasi semina corrupta sunt, è quibus viuum nihil potuerit oriri. Repetiuit *in libro de ciuit. Dei 22. 93.* sed sententiam liberam reliquit *Lombardus etiam attigit lib. 4. distinct. 44.*

CAP. LXX.

An monstra sint resurrectura?

DE monstris, quæ vix certæ speciei figuram habent, & aut humana non sunt, aut partim quidem humana, partim mista ex pluribus Augustinus attigit in Enchridio c.87. cuius verba sunt: Neque monstra, quæ nascuntur, viuunt, quamlibet cito moriantur, & resurrectura negabantur, aut ita vitiata resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta, emendataque natura. Absit enim, vt illum bimembrem qui nuper natus est in oriente, de quo & fratres fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt, & sanctæ memoriæ presbyter Hieronymus scriptum reliquit: Absit, inquam, vt vnum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum erat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cætera, quæ singuli quique partus, vel amplius, vel minus habendo, vel quadam nimia deformitate, monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram resurrectione reuocabuntur: Ita vt singulæ animæ, singula corpora sibi obtineant, nullis cohærentibus, etiam quæcunque cohærentia nata fuerant. Sed seorsim sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis copulatur integritas. Ita igitur sensit deformitatem abundantiam, defectum, corruptionis qualiacunque vestigia à principiis naturæ in generatione oblatis orta, illis abfutura esse. Hieronymi autem locus est, quem citat in Epistola ad Vitalem. Item in lib.22. de ciuit. Dei c.19 docuit, vbi nihil ait esse periturum corpori, quod ei naturaliter infuit Id vero tantum, quod deforme est, idque Deum facturum, quod artifex solet, qui statuam deformem, siue consulto talis facta sit, siue casu & artis errore, rursus dissolutam igne, in pulcriorem potest figuram perducere, vt eadem maneat substantia, deformitas prior absit. Namquod in turpi illa figura extabat, aut expressum erat, aut aberat ad concinnitatem, id vel amputat, vel implet, vel adiicit, vt fœditas abeat, Simile

quid

quid in resurrectione illa fieri putandum est. Abhorrent monstrosæ illæ deformitates, à futura sanctorum felicitate, & ad cætera dona corporis pulcritudo, & partiũ congruentia, cum coloris suauitate accedet, vt nihil vspiam sit, quod ostendere vbiq;, quod delectare possit. Modum restituendi creatori relinquamus. Non enim naturæ opus est, sed infiniti agentis ac potentiæ. *Bonauentura l. 4. dist. 44.* ad eum Augustini locum, ob monstrorum varietatem adiecit, & in nonnullis seorsim respondet: In aliquibus membra gemina sunt. Ea vero vel principalia sunt membra, vel minus præcipua. Si præcipua membra gemina sunt, duæ etiam ibi animæ sunt, atque ita duo corpora seiuncta resurgent. Sin bina, aut plura, quæ tamen principatum in corpore non obtinent, vnum corpus est, & vnum resurget. In Hermaphroditis, quoniam vtraque pars par esse in vno non posset, eo sexu resurget, qui in eo dominatur: Monstrũ vero aliquando partim homo, partim bestia. Tum si principales partes hominis sunt, animamque & vitam habuerunt, resuscitabuntur vt homo, secus si bestiam repræsentet. Placuit ea sententia Augustini Lombardo, qui eam amplexus est, sed nonnulla ei obstare videntur. Primum enim de corruptibilitate loquitur Paulus, & mortalitate, quã ab futuram ibi esse docet, de deformitatibus nihil meminit: deinde, dum de resuscitationib. corporum loquimur, non de sanctorum tantum, sed & impiorum membris erat ostendendum, quæ cum peccato polluta fuerint, & instrumenta scelerum, nulla causa est, cur commune hoc illis futurum sit, cum innocentibus, & vitæ illius hæredibus, & vt patibilia sunt damnatorum corpora, ita & deformia. Tum multæ deformitates corporum sunt, quę tamen non alienæ sunt ab humanæ naturæ veritate, vt gibbositas à gibbis parentibus contracta, claudicatio à claudis, nihil enim tam naturale, quam genitum gignentis naturam retinere. Postremo cicatrices suas in corpore suo Saluator monstrauit, & in martyrum corporibus remansuras, veteres Theologi crediderunt. Quid ergo deformitates aiunt

omnes absfuturas? Adeo in his quidem nihil certum, quia ex scripturis disci non possunt, quando nihil reuelatum est, itaque ne requiramus quidem operosius qualia hæc sint, & sane parum interest. Quanquam hæc etiam argumenta non sunt. ἄλυτα: frugales igitur hic esse conuenit. Palingenesias etiam Aristoteles lib. 5. Physico c. 4. meminit, qui locus disputationes peperit: Sit ne Palingenesia generatio, an vero alteratio? Sic propemodum de ἀναστάσει νεκρῶν, an ea sit mutatio substantiæ futuræ, vel qualitatum, & accidentium. Non videtur esse noua mortuorum generatio, sed facta in corporibus alteratio. Generatio enim ἐνδελέχειαν & formam motu corpori acquirit, quam cum habet, mutatio ad terminum peruenit. At Palingenesia naturæ tantum est, quæ sola renouationem postulat, & in quam repurgatam remigrat. Anima superstes adhuc, non enim cum corpore mortua est, quoniam simplex est, & affectibus nullis obnoxia, vt est in 3. de anima: Partes igitur materiæ à Deo conseruatæ vnientur, anima tota viuit. *Hæc Martinus Weinrichius in comm. de ortu monstrorum c. 54.*

CAP. LXXI.

Manci vt sint resurrecturi.

FOetus, qui membris aliquibus carent, aut abundant quorum meminerat *Paulus ICtus l. non sunt liberi. D. de statu homin. & Vlp. l. quod dicitur & l. ostentum. D. de V.S.* dixerim monstra ea esse reputanda, atq; emēdata resuscitanda, quippe quæ à ICtis nostris locis pręd. etiam ab aliis iure etiam pro hominibus habeantur, sintque anima rationali prædita: atque ideo vita priuari impune non possint, vt *Baldus, Angelus, Alexander Imolensis, & cæteri in comment. ad d. l. quod dicitur.* Homines vero, qui mutili, manci, aut membris capti fuerunt, (vel id naturæ vitio, vel alia quauis causa acciderit)

rit) pariter ad humanæ perfectionis modum & formã perducendi sunt. *Prudentius* Christianus Poeta haut inelegans id plane affirmat, sic canens de resurrectione;

Qui reparat corpus, non reddet debile quicquam,
Nam si debilitas redit instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit:
Quod truncauit edax senium populante veterno
Omne reuertenti reparata in membra redibit.

CAP. LXXII.

De cicatricibus resurgentium.

QVæritur, qualis futura sit generatio resurgentiũ? an scilicet illos defectus, quibus cum ex hac vita recessimus, iterum simus reportaturi, an vero perfectiores pulcrioresque, nullas nobiscum referentes contumelias simus surrecturi? Et videtur homo cum iisdem defectibus corporis, quibus hinc migrauit, esse reuersurus, cum hæc generatio nihil aliud sit, nisi prioris vitæ, quam mors dissoluerat, restauratio, & vt sit prior vita, necesse sit pristinum, quod viuificabatur, id est pristinũ corpus surgere per sua membra & pristinum viuum faciens, id est pristinam animam restitui. Sic distinguitur, & respondetur. Quia deformitatum corporibus nostris adhærentium aliæ sunt, quas ex defectu naturæ nobiscum traximus ex vtero matris, veluti gibber, & lippitudo, & hoc genus alia: Nonnulla etiam sunt, quibus aut iniuria hominum, vt Apostoli, & sancti Martyres, aut propriis vitiis, veluti, qui ob commissa flagitia capite abscissi, laminis ferreis candentibus exusti, & aliis tormentorum generibus torti, & secti sunt, affecti sumus: & tunc si loquimur de his deformitatibus, quæ aut ex defectu naturæ, aut iniuria hominum nobis contigerunt, iterum distinguitur quod aut loquimur de his, qui pro fide Christi tuenda hæc perpessi sunt, vt sancti Martyres, & Apostoli, & omni procul dubio credendũ est, quod absque omni defectu naturæ, sed cum cicatricibus vulnerum pro Christi fide acceptorum resurgent.

Sed dices, nonne hæc sunt corporis deformitates? Quomodo igitur non indecorum? Sed D. Augustinus dicit in Enchy. c. 90. & 91. Resurgent corpora sanctorum sine vllo vitio, sine vlla deformitate, & rursus de ciuit. Dei 22. In cœlis nihil erit indecorum, sed quicquid ibi futurum est, hoc decebit quia nec futurum est, si non debebit. In sanctis cicatrices istæ dici deformitates non possunt, sed eod. Augustino teste, sunt indicia virtutis, qua pro Christo aduersa tanta perpessos esse, & de diabolo & mundo gloriosissimum triumphum deportasse demonstrabunt, & eorum corporibus dignitatis decorisque afferent plurimum, hinc legimus, quia & Christus dominus cum cicatribus vulnerum, quæ in corpore suo passus fuerat, resurrexit, & cum apparuerit, similes ei erimus, dicit Ioannes. De reliquis iterum distinguitur: Quia aut resurgent ad gloriam, aut ad Gehennam. Si ad gloriam, creditur, quod siue loquamur de defectu naturali, siue de deformitate, aut æstu hominum, aut propriis vitiis inflicta, quod istorum corpora resurgent pulcerrima, & integra sine defectu quidem naturæ, quia in cœlis nihil indecorum erit, sine cicatricibus vulnerum æstu alicuius inflictorum, quæ in his nulla adest virtus cuius indicia super esse debeant, tanto magis sine insignibus vulnerum propriis vitiis acceptorum, tum quia, cum non à virtute, sed à vitiis originem ducant, illis turpitudinem potius intrent, quam decorem, & nihil indecorum in cœlis resurget, tum quia cum cesset caussa, scilicet virtus, debet cessare & effectus, nempe cicatrix, quæ non virtutis, sed turpitudinis esset indicium, Aut resurgent ad Gehennã, & D respondet Augustin⁹: Quicunque ab illa perditionis massa, quæ per Adam facta est, non liberantur per Christum, resurgent quidem etiam ipsi, vnusquisque cum sua carne, sed vt cum Diabolo, eiusque angelis puniantur. Vtrum vero ipsi cum vitiis & deformitatibus corporum suorum resurgant, quæcunque in eis gestarunt, inquirendo laborare quid opus est: non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulcritudo, quorum erit certa & sempiterna

terna damnatio At *D. Thomas* de iis agit *in 4. Can gentiles c. 89.* vbi beneuolus lector videat.

CAP. LXXIII.

Homines quos viuos Christus inueniet an morituri?

PAulus *Epist ad Thessalon. 1. c. 4.* non morituros demonstrare videtur, sic inquiens: Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aera, & sic semper cum Domino erimus. Id manifestius ostendit ad Corinth. 1 *C. 15.* si Græci contextus fidē sequamur: *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem mutabimur, in atomo in ictu oculi in nouissima tuba. Clāget enim, & mortui resurgent incorruptibiles & nos immutabimur.* Ad quem locum *Ioannes Chrysostomus* inquit aliquos non morituros, quod ipsum & *Theophylactus* existimare videtur. Vulgata tamen versio aliter sonat, sic enim habet: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* &c. Quæ lectio probabilior videtur *Hieron. Maggio lib. 4 c. 7. de exustione mundi,* dicit enim, Paulum significare voluisse, aliquos non obituros vulgato mortis genere, sed diuerso longe. Ambrosius enim ait, iustorum, qui viui reperientur, animas, quasi per soporem egressas corporibus suis statim esse reddendas, legere ne pigeat, quæ hic scripta reliquit in libr. de Fide resurrectionis. c. 9. Idemque *Augustinus* opinatur *lib. 20 de ciuitat. Dei c. 22.* Censet enim viuos, quos cœlo & beatitudine dignabitur Deus, in ipso temporis puncto, ac momento, quo rapientur in nubibus obuiam Christo, in aera ad immortalitatem per mortem migraturos. Hieronymus tamen scribens ad Marcellam, quosdam testatur in fine seculi, Christo adueniente, viuos reper-

tos

tos neutiquam morituros, sed ad immortalitatem repente traducendos.

DE MIRACVLIS MORTVORVM PARS NONA.

CAP. I.

De mortuorum pro patria in bello celebritate.

CIcero *de somnio Scipionis*. Omnibus, qui patriam cõseruauerint, adiuuauerint, auxerint, certum esse in cœlo, & definitum locum, vbi beati sempiterno æuo fruantur: Imo Imp. *Iustinianus*. Hi, inquit, qui pro rep ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur. *Instit. de excus. tut. vel cur. l. qua actione §. si quis in colluctatione D. ad l. Aquil. §. fœmina Instit. de adopt.* & hæc gloria tot Romanos heroas pro patria mortem subire animauit. Hęc M. Curtium in specum salire iussit, pro tutanda patria. Hæc Scæuolam animosum fecit, ab hac omnium Romanorum heroum facinora. Sic moriens pro fide, cœleste præmium consequitur 23 *q. 8. c. omni timore. allegat Blancus in tract. Crimin. p. mihi. 312 n. 43.* Contra quis fingitur mortuus, qui viuit per vituperium, vt deportati *l. 1. §. 1. & § pen. in fin D de not. ta. l. cũ hoc §. Si donator alias. §. si seruus D. de don. int. vir. & vxor*, vbi seruus viuit, & pro mortuo reputatur, quoad ius ciuile *l. quod attinet & l. seruitutem D. de R. Iur.*

CAP.

CAP. II.

De religiosis & mendicantibus quatenus videantur similes mortuis.

RELigiosus similis est mortuo vt refert *Imp. in l Deo nob* C. *de Ep. & Cleric. in auth. de monachis* §. *illud dicit Guido Papa decis. q. 517.* Quod videntur tales similes mortuo, verum hoc esse quoad matrimonium, vt ibid. *Gl. dicit.* Additio, similes mortuo) hoc nequaquã verificatur in actibus naturalibus, nam monachus, quo ad actus naturales non censetur mortuus, vt *dicit dom. Pan. in c. Clerici in 2. col. in vers. venio ad vlt. Extra de vita & honest cler.* Tu adde, *Pet. de Ancha. in c. sicut. de homi. in 2. not.* vbi etiam dicit, quod licet monachi dicantur mortui mundo, *c 2. de postu.* tamen impraegnant & quandoque commatres *alleg Spec. de teste.* §. *1. vers. item excipitur quod est monachus.* Item & comedunt vt *C. de bon. qua lib in Auth. excipitur.*

CAP. III.

De Asylo ad mortuos.

TEmpla, cœmiteria, sepulcra mortuorum, omni tempore fuere asyla, vt ad ea confugientes violenter extrahi non deberent, sed essent immunes, *vt in c. sicut antiquitus 17. q. 4.* Exemplum extat immunitatis ap. *Petrum Bonfons in lib. 1. les fastes antiquiter de Parys. c 15.* Dagobertus rex Francorum, vir illustriss. omnibus Episcopis, abbatibus, comitibus, centenariis, vicariis, & cæteris agentibus, nostris, &c. Itaque nos in Dei nomine, in Palatio nostro Clipiaco, in synodo generali, residentes, pertractauimus, vna cum Episcopis &c. Qualiter honor & laus Ecclesiæ beatorum martyrum, videlicet peculiaris patroni nostri Domini

Diony-

Dionysii haberetur, & obseruaretur. Id est vt quisquis fugitiuorum, pro quolibet scelere, ad præfatam basilicam beatorum martyrum fugiens, tricenam pontem aduenerit, vel ex parte Parysius veniens, *montem martyrum* præterierit, vel de Palatio nostro egrediens, publicam viam, quæ pergit ad Luparam transierit. Sicut nos quidem Deus liberauit per ipsos sanctos martyres de manibus inimicorum nostrorum & furore domini genitoris nostri; ita omnes, quicunque ibi confugerint, liberentur & soluentur, si autem Deus omnipotens per intercessionem sanctorum brutum animal videlicet ceruum manifeste inibi in ipso sacro loco liberauit, multo magis dignum est, vt homines rationabiles, quocunque delicto facinoris siue contra nos, vel succedentes reges Francorum, vel contra quemlibet alium fidelem S. Dei Ecclesiæ, aliquod crimen commiserint, relaxentur, & liberentur. Et Athenis Thesei sepulcrum id iuris habuit; vt serui ad illud confugientes nexu soluerentur.

CAP. IV.

De morte ciuili.

MOrs ciuilis æquiparatur naturali, in casibus à iure expressis, *Glo. Mag. in c. susceptum. de rescrip. in 6. & gl. in c. placuit 16. q. 1.* Vide tamen ante & quando æquiparatur per *Bart. in l. ex ea parte. §. in insulam D. de V. O. Innoc. & Anton. de Butrio in c. licet. de offic. deleg. & Felin. ibid. in 1. col. Panorm. in c. causis. de conuers. coniug.*

CAP. V.

Quomodo mors probetur.

PRæsumitur homo viuere centum annos. *l. fin. ante med. C. de SS. Eccles. l. an vsusfr. in fin. de vsufru. l. si vsusfru. in fin. de vsu & vsufr. & red. & habit. & oper. per legat. vel fideicom. dat. & in Auth. vt Ecclesia Roman.* cent.

cent. ann. gaud præsumt. collat 2. paulo ante med. Fallit tamen hoc quando probatur quod sit mortuus *Cyn. in l. siquidem vers. præterea C. sol. matr* Quæ probatio potest fieri per famam *Angel. in l. fin. §. fin. de his qui not. inf. Bart. in l. 2. § si dubitetur n. 2. & ibi & Bald. quemadmodum test. aperi. Ioach. à Beust. in l. admonendi de iureiur. n. 1108. 1109.* Verum pauci ad eam ætatem perueniunt, vt quotidiana experientia testatur, sicut & Dauid Psal. 87. affirmat.

CAP. VI.

De coronatione mortuorum.

COronarum insignia victoribus, cum patriæ parentumque claro etiam præconio, in sacris Græciæ certaminibus non solum viuentibus, sed iis etiam, qui vita functi essent, si cui forte inter certandum id contigisset, haut secus dari, recto sane instituto fuerat in more positum. Siquidem vnum atque alterum accipimus, post efflatam illico animam victores declaratos, & insigniter coronatos fuisse. Archionem enim Phygaleum ex Arcadia legimus, cuius lapideam imaginem longo iam æuo exesam, & vndique labefactatam, Phigaleæ foro in medio se vidisse Pausanias scribit, Olympiade quarta & quinquagesima in Elidem venisse, & ad sacrū pugilum certamen cum reliquis descendisse, cumque alios quidem omnes (quo erat robore) facile superasset vnusque illi duntaxat reliquus super esset aduersarius, dum eundem cupidius, vt aiunt, quam cautius aggreditur, ceruices illi suas strictius captandas incaute præbuisse dicitur. Quare cum arctius premeretur, & præcluso iam spiritu deficeret, & in genu concidisset, quo adversarium à se propelleret, apprehenso pedis eius articulo, quanta maxime moriens potuit vi, digitum illius diuulsisse, & fregisse dicitur: Cumque eo coactus dolore se victum exclamasset ille, Archionemque suo etiam testimonio, victorem profiteretur, dimitteretq;, ante suos illum pedes expirantem animaduertit. Quāobrem Elii Archionē mortuum victorem declararunt,

eiusque cadauer victrici insuper corona, qualis Olympionicis dari mos fuerat, aliisque laudibus rectissime honestiss. perhibentur: illud exemplum, & simile de pugile Creuga recenset *Nicolaus Leonicus de varia historia lib. 2. c. 81.*

CAP. VII.

De Luco aut circa delubra deorum, aut circa sepulcra hominum posito.

AVgustus Mausoleo suo syluas adiecit, *ex Suetonio in illo c. 100* Idem elicitur ex Martiale de Fusco *Epigram. 76 lib 6 Cic. in orat. pro Milone* Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos inquam, imploro & obtestor. *Valla lib. 14.* scribit: Lucus nequaquam cæduus est, quin potius manu consitus, religiosusque, atque vel alicui Deo, vel alicuius hominis cineribus consecratus, ideoq; aut circa delubra, aut circa sepulcra hominum positus est. Apud Hebræos quoque in literis sacris obseruamus sepulturæ traditos nonnullos in Lucis seu nemoribus, ita lib. *1 Reg. c. 31.* Saulis & filiorum eius ossa sepulta, in nemoribus legimus, quod etiam repetitum videmus *1. Paralipo. c. 18.* hinc & Leuinius Torrentius *Lucum* non *locum* legendum existimat, ap. Suetonium in Tyberio c. 1. ibi. Agrum insuper trans Anienem, clientibus, locũque sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepit, sed Marcellus Donatus, historiarum antiquarum scientissimus, vulgarem lectionem *locum* retinendum rationib. constanter affirmare non dubitat, in dicto capite.

CAP. VIII.

An rumpatur testamentum resurrectione testatoris mortui?

DIcit *Clarus lib. 3. §. Testamentum. q. 86.* esse pulcram quæstionem, sed de raro contingentibus, si tamen contingeret prout in Lazaro, quem Christus Dominus à mortuis suscitauit, tenendum esse, quod Lazarus à mortuis

mortuis resurgens, hæreditatem suam de iure recuperarit, & ruperit testamentum, si quod prius condiderat, vel tanquam ipsemet, (non enim videtur defunctus qui tam cito reuixit) vel tanquam posthumus, qui de nouo natus esset ita tenuit *Glo D. 1 de leg.* quæ in hoc communiter est approbata vt *dicit Albert. in d. l ex his n. 1. Alex. in l. si marito in pr. n. 5. D. sol. matr.* (illa tamen verba Parenthesi inclusa, quod cum venia tanti viri cui alias plurimum debeo, dictum velim, mihi non probantur, quod ad Lazarum, aliud enim est reuiuiscere ex ecstasi, aliud reuiuiscere virtute Dei.

CAP. IX.

Vtrum mortuus resuscitatus restituatur in integrum?

TRactat hanc q. *Angelus Clauassinus in summa sua Angelica in verbo, Mors, §. 3. & Resp* vt elicitur *per Gl. & Archidiac in c 2 32 q 7. & per Ioan Andr. & Pan. in c. fraternitatis. de frigid. & malefic. post. Vinc. Per. B* quod, quoad ea, quæ imprimuntur in anima non perdidit, & ideo non restituitur, Vnde sacerdos resuscitatus non reordinatur, nec baptizatur, & huiusmodi. V[illegible]e *summam Toleti Cardinal lib. 2. c 16 Ioan. Andr.* idem se[illegible]tit etiam in professione, licet character non imprim[illegible]tur, quia obligatio acquiritur Deo, qui non moritur, *c fin. de condit. appro.* Sed *Pa.* tenet contrarium in hoc, quod talis obligatio est restricta ad tempus, propter[illegible]a profitentes dicunt: *Toto tempore vitæ meæ promitto* &c. & hoc credit verius *Angelus Clauass.* & opin. Ioan. An[illegible] dicit militare, quando quis simpliciter promitteret se[illegible]uare talem regulam, in aliis autem, in quibus nec Character imprimitur, sed adhærent corpori, *Io[illegible] And.* dicit, quod non restituitur, nec recuperat, qu[illegible]a actio semel extincta non reuiuiscit. *c. ex transm[illegible] a*

 de re-

de renunc. sed Gl. *in l. nã ad ea alios. l. ex his D. de leg. & in l. seruus effectus D. de A. & O.* tenet, quod recuperet indistincte. Vnde dicit, quod rumpat testamentum, quod ante fecerat, & recuperet bona *Archidi.* vbi sc. tenet, quod restituitur q. iure postliminii, & idem tenet *Ia. de sancto Georgio & Bened.* Ratio, quia se restitutio principis refertur ad omnia *l. 1. C. de sent. pass. 2. q. 3. quoties in fin.* Ergo fortius restitutio Dei, sed tu die, quod sicut non extinguitur obligatio illius, qui promisit nauem alienam, sed solum cessat, quamuis Dominus nauem destruat, animo reparandi eam, ex eisdem lignis, quia eadem nauis censetur, vt in *l. qui res suas §. aream promisisti D. de solut.* Sic in proposito, quia Dominus dissoluit talem animo, vt postea ex eisdem pulueribus resuscitaret. Et opinio contraria posset saluari, quando fuisset morte resolutus, non animo restaurandi, quia tunc nauis, licet restauretur, non est eadem, sed in isto casu non potest esse. In matrimonio tamen certum est, quod non restituitur, nisi de nouo contrahatur Iterum, quia semel dissolutum est morte, & ideo non recuperat iure postliminii vt in *l. non vt à patre D. de capt. & postl. reu.* secus in aliis vt dictum est *Bart. etiam in l. 1 C de SS. Ecclesia* tenet, quod resuscitatus iterum moriturus, vt Lazarus, recuperat, & reuocat testamentum, sicut per natiuitatem filiorum. Sed resuscitatus non amplius moriturus, non rumpet, attingit & de hac q. *Io. Ferrarius Montanus in lib. 2. de indic. praexercit. c. 8.*

CAP. X.

De testamento capitis damnati.

TEstamentum eius, qui capitis damnatus est, statim & antequam de eo supplicium sumatur irritum est, quia sententia statim secum executionem trahit per *text. sing. in l. si quis filio exhæredato § irritum D. de iniust. rupt. & irrit. fact. test Gloss. ibi in verb. passus.* Fallit in quatuor casibus, primo si in sententia sit ei factio testamenti reseruata. Secundo si sententia suspendatur tantisper, donec princeps rescribat, an de eo sumendum sit

suppli-

supplicium. Tertia si sententia condemnatoria sit suspensa per interpositam appellationem: Quarto, quando sententia esset nulla, vel ex defectu iurisdictionis, vel quia sit lata contra ius expresse, ita *Castr in d. §. irritum.* & probantur per illum text. cum *trib.* §.§ *§.seqq.* Si igitur condemnatus ante rescriptum principis moriatur, valet eius testamentum, nisi mortem consciuerit, nam eorum, qui mori magis, quam damnari maluerint, ob conscientiam criminis, testamenta irrita constitutiones faciunt, licet in ciuitate decedant text. in *d. l. si quis filio, §. eius qui deportatur & text. in l. 2. C. qui testa. fac. poss.*

CAP. XI.

De liberatione damnati ad mortem: Num si virgo damnatum quempiam ad mortem petat in maritum liberet ipsum à morte?

CAutum erat olim: Flaminis Dialis 6. vinctum, si aedes eius introierit, solui necessum est, vt vincula per impluuium in tegulas subduci, atque inde foras in viam dimitti. *Gellius lib 10 noct. Attic c. 15.* id olim Vestalibus etiam concessum scribit *Alex. ab Alex. S. Gen. 12. & hodie S R P.* Cardinalibus si dum ad supplicium ducitur damnatus, Cardinalis obuiaret, pœna omnino remittitur *Bald. in l. addictos C. de Episc. aud & Barba. in tract. de praestant. Cardin. in 9. q 1. part.* dicit, quod tale priuilegium recipit sex declarationes, vide *Cœpoll. caut. 2 Iason in §. pœnales Institut. de actio.* Idem tenet *Paulus Castrensis in d. l. ad dictos.* Sunt tamen, qui dicant, hoc tantum demum habere locum, si Cardinales ponant capellum super caput ipsius rei *Idem Paul. Castr. in d. l. addictos* habetur per *Parid. de put. in tract. Syndic. in verbo pœna ver an si primo.* vbi dicit, idem esse in filio regis, qui si obuiat condemnato ad mortem, potest eum à morte liberare, quod tamen respectu filii regis reliquit sub dubio, rationibus per eum adductis: id tradunt Dd. *ad d. l quod dictos 1. Clar. sent, §. vlt q. 98. vers. vlterius*

quaro quoad Cardinales eam rationem reddit, quod Cardinales æquiparantur regibus, & in iis fere residet tota maiestas Reip. Christianæ. *M. Anton. Blanc in tract. crimin. caut. 1. n. 2. Bart. Tagius in tract. crimin. part. 19. n 18. 19.* Idem videtur, si condemnatus, dum ducitur ad supplicium, obuiat corpori Christi, quia liberandus est: *Archid & Card. in clem. 1. §. institutione. de relig. & ven. sanct.* quod intelligendum videtur, dummodo ad ipsum corpus recurrat, & suscipiat communionem, *Felyn in c quarenti de offic.* vbi etiam aliquid de Cardinali, quoad punctum refert *Papo 24. Arresto 10. art. 4* exemplum, idque in Hispania vsitatum addit, quorum consuetudo forte deriuata ex canone, inter *operas caritatis 20 Extr de sponsal add. l. 27. C. ad l. Iul. de adult. & Chassanaus in consuet. Burgund. §. 2. in verb. S'il u' à grat.* notat, se nullam huius rei rationem afferre, nisi forte quis censeat, matrimonio iniecto, maiorem pœnam indici, quam si mors esset indicta: adde *Tiraq. tract de pœn. caus 56.* Mulier enim mala herba, & clamat ille: *Vxorem duxi, libertatem vendidi*, & medicorum effatum est *à Medico indocto, à cibo bis cocto & à mala muliere, libera nos Domine.* Negotium enim habere qui velit, inquit Plaut. vxorem & nauim sibi comparato, in his enim semper aliquid resarciendum inueniet, *latius hanc q. tetigi in Sibylla Hassiaca de virginib.*

CAP. XII.

An damnatis ad mortem suspendendis vel decapitandis pro suis maleficiis danda sit Eucharistia?

RESP. quod sic, si pœniteant, & pure confiteantur, vel cupiant confiteri, si possent, quia nec Eucharistia, nec sepultura est eis deneganda, & missa pro eis potest celebrari, & oblationes offerri *26. q 7. c. 1 & vlt. & dist 50. pœnitentes & 13. q 2 pro obeuntib.* imo hodie in *Clem. 1. de pœ & re.* præcipitur officialibus, quod eis administrare permittant, si petunt. *Hac summa Angelica*

in

in verbo Eucharistia 3. §. 26. Ecclesia quidem permittit illud eis communicari, vt est text in *c. quaesitum 13. q. 2.* Et ita tenent communiter Dd vt attestatur *Anton. Gomes c 14. delictor. post. n. 6. vers. Item adde quod potest & dicit pract. Iodoc. c. 150. n 4* quod hunc laudabilem morē sequuntur hodie pleræque Romani Imperii ciuitates, aliique pii deuotique magistratus. Sed in plerisque regionibus hoc non seruatur, & in specie in ducatu Mediolanensi, vt testatur *I. Clarus lib. 5 § fin. pract crim. q 99. n. 3.* neque etiam in Gallia, vt attestatur *Igneus in l. 1. in pr. n 5. D ad Sylla.* neque in Hispania, vt ait *Gomes in loco praelleg.* Sciendum est tamen, quod vbi eis datur, eo casu propter sanctissimi sacramenti reuerentiam, non deberent illo die, quo communicant, vltimo supplicio affici.

CAP. XIII.

Quid de illis qui dicant missam de mortuis pro viuis vt moriantur?

RESP. quod peccant mortaliter *26. q. 5. quicunque Angelus Clauass. in summa Angelica verbo superstitio. § 19.*

CAP. XIV.

Vtrum Eucharistia danda mortuis?

RESP. *Petrus Aureolus in 4 distinct. 9 q. 2.* quod idoneus susceptor Eucharistiæ est homo viator, nulli ergo mortuo debet dari, & si petunt, illusio est. *Summa Angelica in verbo Eucharistia 3 § 9.*

CAP. XV.

An mortui à Papa poßint absolui?

CÆsar Baronius Card. *Tom 6 c 141 thesaur. antiq. Escles.* proinde, inquit, quantum præmoneri te

Domino possibilitatis humanæ desideranti remedia prębeamus, totum quod supra facultatis nostræ est modulum, diuino iudicio relinquentes, non autem nobis poterunt imputare, cur præuaricationis offensam viuentibus remittamus, quod Ecclesiæ Deo largiente possibile est: qui nos etiam mortuis veniam præstare deposcunt, quod nobis possibile non esse manifestum est, cum dictum sit *Matth.16 Quæ ligaueritis super terrã*, quos ergo non cõstat iam esse super terram, non humano, sed suo iudicio reseruauit, nec audet Ecclesia sibimet vindicare, quod ipsis B. Apostolis conspiciat non fuisse concessum: quia alia sit causa superstitum, alia defunctorum.

CAP. XVI.

Mortui quando possint accusari & quando non?

ACcusari non possunt mortui: quia mortuo reo, omnis criminatio extinguitur: fallit tamen in crimine læsę Maiestatis, Repetundarum, peculatus, & Hęreseos, quibus casibus propter enormitatem delicti, accusatio de iam mortuo recipitur. *l. iudiciorum D. de accus.* Item fallit, si accusatus sibi mortem consciuerit, vel etiam, si post litem contestatam, vel postquam fuerit in scelere deprehensus, mortuus fuerit, not *in suprad. l. iudiciorum Franc. Cason. in singular. q. crimi. c. 2. Qui accusari possunt.*

CAP. XVII.

De iniuria facta defuncto.

INiuria facta defuncto, censetur quodammodo facta hæredi *l. 1. §. quoties. 1 & 2 D. de iureiurand.* ista tamen iniuria videtur abusiua secundũ *Cephal. cons. 341. n. 34 & seq. lib. 3.* Et iniuria facta defuncto, est leuior quam iniuria facta viuo. *Bartol l fideicommiss C. de fideicom. Crauet. cons. 205 n. 26. Roland. à Valle cons 86 n. 26. lib 2 Cephal. dicto cons 341. n. 38. lib. 3. Iosephus Ludouicus conclus. 16. n. 141. & duob. seqq.*

CAP.

CAP. XVIII.

De condemnatione innocentis ad mortem.

QVom sæpissime ex intricata illa quæstione, quæ diu acrioris iudicii viros torsit, num iudex secund. acta & probata, an vere secundum conscientiam iudicare debeat? text. est in *l. illicitas § veritas D. de offic. præsid.* innocens damnetur, innocens non à Pilato ad Herodē, vt vulgo fertur, sed ad summum Tribunal, Dei Thronum, appellet, iudicem eo vocet, compertum est, non multo post tempore iudicem desiisse. ¶ Exemplum refert *Dion Cass.* Seuerianum Adriani iussu occisum fuisse, qui, antequam lictoris laqueo iugularetur, nullius sceleris conscius, & suo iuri principem obturasse aures cerneret, ignem poposcit, atque incenso thure, vos, inquit, ô Dii testor, me nihil aduersus Adrianum molitū fuisse, cui indigne me persequenti, hoc tantum imprecor, vt cum mori cupiet, non possit. Quæ imprecatio certissimo euentu non caruit, nam ipse Imperator maximis cruciatibus afflictatus, repetitis vocabulis in hęc verba prorumpit: *Quam miserum mortem appetere & mori non posse.* Ex *Fulgosio* retulit Gallicæ Academiæ autor quendam principem, cuius nominis non meminit, alioquin generosum, sed scelerum crudelissimum vltorem, nobiles duos natalium & stemmatis splendore conspicuos perduellionis crimine pertinaciter accusatos, ex altissima turri in conspectu multorū pręcipites dedisse, constantissimis vocib. innocentiā protestabantur, falsas accusationes vitæ integritate repellebant, supplices petebant, ne regis animus clancularis suggillationibus seductus in eos sæuiret: Nihil proficiunt, nec mouetur, nec flectitur tantis clamoribus princeps. Insontes ad tribunal diuinum confugiunt, & his verbis principem adoriuntur. *Cum nec iuri nostro tuendo nec nobis æquitatis apud te crudelissime princeps relictus sit locus nos te ad dies Triginta iudicio sistere mandamus, ante summi & incorrupti iudicis thronum, vbi ius nostrum æquiore bilance trutinabitur.* Princeps anilem & dementem illā

citationem esse opinatus, eamque flocci faciens. Trigesima die, cum ab aulicis suis somno liberiori indulgere crederetur, mortuus inuentus est. ¶ Idem ferme scribit *Nauclerus* de quodã Ferdinando sancti filio, Legionis & Castellæ rege *P. Matthæus I.V.D. in notis ad decis. Gratianop. D. Guidonis Papæ q. 29.* An Domini de Parlamento possint iudicare secundum conscientiam *p. 24.* Nota tu iudex, notate vos interpp. Il. rationem inquirere secretusta, stupete & summum iudicem obseruate.

CAP. XIX.

De Abbate S. Iacobi apud Leodinum qui contra Præpositum coram Deo appellauit.

VT refert *Thomas Cantipratanus lib. 2. mirac. c. 35. §. 2.* Monasterium S. Iacobi apud Leodium notum multis est, & acceptum. Istud quidam adolescens consobrinus maioris præpositi, causa deuotionis & religionis intrauit Quod vt audiuit Præpositus, indigne tulit, mandat Abbati remitti consobrinum per clericos: renuit ille. Tunc Præpositus forti manu collecta satellitũ, intrat violenter cœnobium, rapit iuuenem & nudatum sancto habitu, induit seculari. Abbas ergo monasterii, collectis primoribus ciuitatis, Episcopo conqueritur, & totum clerum pro tantis iniuriis interpellat: Hoc cum indignanter, audire vix vellet Episcopus, & Abbatem potius duris verbis impeteret, flexis Abbas genibus, cum moderamine verborum, dixit Præposito: *Iudicem contra te ô Præposite in terra habere non possum & ideo contra te Deum summum iudicem interpello, vt ita infra quadraginta dies vterque nostrum compareat coram illo sententiam pro meritis accepturus.* Ad hæc præsul cachinnans cum suis irrisit hominem atque spreuit, & repulit exprobatum. Quid plura? Quadragesimo die circa nonam mortuus est dictus Abbas. Et cum pro eo solenniter pulsaretur, sedens in balneo Præpositus, quæsiuit à

circum-

circumstantibus, quid hoc esset. Mox quidam ingrediens, & requisitus de sonitu campanarum, respondit Abbatem S. Iacobi modo esse defunctum, & pro eo pulsationem fieri iam solemnem. Illico recordatus Præpositus quadragesimum diem esse, qua se citatum coram summo iudice audierat ab abbate, consternato animo dixit suis: *Cito videte quid faciam, moriturus ego sum, comparere me hodie summi iudicis conspectibus oportebit.* Nec mora, post verba hæc cum balneum egredi festinaret, in astantium manibus cum diro eiulatu & vocibus expirauit ibi procul dubio respondere compulsus, vbi causarū strepitus cessant, iurisperitorum aduocatio conticescit, vbi nec preces, nec pretium liberabunt: Vbi nec interlocutoria iudicis sententiam protelabunt.

CAP. XX.

De Appellatione Abbatis Valemencnsis contra Comitem Hanoniæ.

IDem *Cantiprat dicto lib. &c.* § 3 Simile quid, inquit, & de Comite quodam Hannoniæ, fide indubitata percepimus, qui dum vellet in Ecclesia S. Ioannis in Valemienis canonicos expellere regulares, & pro eis ponere Canonicos feculares: Abbas eiusdē loci ad summum iudicem appellauit. Appropinquante autem appellationis die, cum Abbas inciperet infirmari, & se ad comparendum coram summo iudice orationis instantia præpararet, ipseque comes sub eodem tempore sentiret incommodum causæ, cessit, omnimodo veritus diem iudicii, & sententiam expectare.

CAP. XXI.

De reo appellante.

MAgister quoque Theutonicorum ordinis, per indignationem suspendio, prætenso falso crimine, sciens prudensque quendam peremerat, Innocens, cum

ad

ad supplicium duceretur, ad Christi tribunal magistrum citat, ad tertiam decimam diem: adueniente die, Magister prorsus incolumis suo ore coram non paucis fatetur, *oportere se sisti coram* Deo. Mirum, ea die occumbit, id accidisse in Liuonia circa annum Domini 1407. tradit *Krantzius Vandal. lib. 11*.

CAP. XXII.

De manu mortua.

MAnus mortua est, vt tractat *Guido Papa in decis. Gratianop q. 361.* quod si rusticus decedat sine liberis, vel alio descendente, Dominus totum occupet iure peculii, allegat *Host. in summ. in tit. de natis ex libero ventre.* ¶ Annotat ibidem *Ranchinus* manus mortua sumitur variis modis, vno quando res aliqua transfertur in Ecclesiam, vel in aliquam communitatem, tunc enim dicitur res incidere in manum mortuam, & appellatur manus mortua, propterea quod nusquam mortua communitas, *Masuer. in tit. de Locato. §. item si res data fuerit.* Et ea res transferri non potest in ipsam communitatem, neque communitas eam possidere nec tenere posset, nisi ea esset amortisata, quæ à principe concedi solet *l. fin. vbi Dd. vt in poss. leg.* Appellatur etiam manus mortua, quando aliquis moritur sine aliquibus parentibus aut sine aliqua cognatione in loco vbi est Dominus iurisdictionalis. Nā tunc ille Dominus iurisdictionalis succedit in defectu proximorum per vltimum caput, vnde fiscus & in hac quæstione ponitur, ibi manus mortua, & de hac manu mortua plene *Boer. decis. 263. n. 10. & 11.* ¶ De manu mortua vide *Petrum Bellugam in suo speculo rubr. 14. videamus col. 1 Moli 41. col. 68 Guil. Bened. in cap. Raynut in verbo. vxorem nomine Audelasiam & Bacquetium* ¶ *Ferrerius ibid.* Manus mortuæ sunt seruilis conditionis hominis, terram colentes εἱλωτείας πενεστείαι δουλείαι *Arist. lib. 2. polit. c. 3.* à Cretensibus appellantur περίοικοι quibus agros colunt, vt Laconibus εἱλῶτες & Thessalis

πένεσται

πένεςαι. *Aristot. 2 Polit. cap. 7 & 8 Plutarch. in Lycurg. Plat. lib. 6. de leg.* Notatum quoque munus erat agreste & vile *Liuius lib. 34* & à Lacedæmonibus contumeliose tractabantur. *Ath lib 14 c 29.* Vincti enim pedes, damnatæ manus inscripti vultus, Romanorum rura exercuerunt, inquit Plin *lib 18. c 3.* Et iure Romanorum agricolarum alii erant censiti, Tributarii, adscriptitii, de quibus *Cuiac ad rubr. C de agricol. lib. 11.* Constat etiam ex *Sidonio lib. 5 epist. ad pud.* Colonos, qui origine erant inquilini, seruos fuisse. Et *Iulius Cæsar lib. §. Bell. Gall.* narrat plebem in Gallia pene seruorum loco habitam, & plerosque sese in seruitutem dicasse nobilibus, in quos eadem erant omnia iura, quæ dominis in seruos *Humbert. Delphin.* omnes Delphinatus, qui erant Seruilis conditionis, conditione illa liberauit &c. De manus mortua in villa S. Dionysii relaxata ab Abbate suggerio vidi & legi literas declaratorias, quas exhibet *Petrus Bonfons in les fastebant: quiter de Paris. lib. 1. c. 15. incip. in nomine &c. Ego Suggerius Abbas &c.*

CAP. XXIII.

Quæ causa & ratio quod cadauer interfecti in præsentia autoris necis sanguinem emittat?

ID plurimis exemplis compertum, & obseruatum testata est experientia: quod homicidæ præcauere didicere, si quam cædem patrare, vel aures, vel nasum, vel etiam corporis partem interfecto abscindendo, eamq; sub axilla ferendo, existimant enim mortuum ita lacerum, reddi omnino invalidum ad sese vlciscendum vt est etiam apud *Heusych.* & Scholiasten Sophocli *Electra* &c. Eius tamen emissionis sanguinis quidam nullam rationem admittunt, sed male, cum enim anima lateat in sanguine, *Genes. 4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* &c. eaque in vita discedat à corpore, ob desiderium quo tenetur, erga illud circumerrat illud, & sese corpori insinuare tentat, & Augustinus dicit anima-

bus

bus iam beatis in cœlo Deum videntibus inesse quendam naturalem appetitum administrandi corpus, quo retardantur ne totaliter ferantur in Deum. Crederem igitur animam, si adsit autor necis, corpus iterum intrare & mouere, vi ad vitam, cum deficiant & languida sint membra, saltem ad vindictam occisoris. Et secundũ aliquos est quædam natura in homine, quæ ipsum cogit aut fateri, aut aliter delictum manifestare. Vnde legitur in lege Diuina *Fugit impius nemine persequente*. Et hanc partem aliqui vocarunt *Furiam*, alii, conscientiam scelerum, alii dixere, fieri natura communi, ad manifestandum delictum vt refert *Doctiss. Francisc. Cason. in lib. de iudiciis ad torment. in præfat. circa fin. Vairus de fascino lib. 1. c. 4. Neoualdus in exegesi purgationis sagarum p 24. vers monuit. &c.* illud quod de sanguine Abelis legitur huic suffragium nullum ferri è posse tradit, nec de hoc miraculo intelligi, sed de Caini pœna, postmodum ipsi sustinenda, quam temporaneam fuisse non constat. Physicam adferre videtur rationem *Martius Galeottus in lib. de doctrina promiscua c. 22.* ab insultu spirituum pendentem, iisdem ab vno in alterum irruentibus, occidentis irati spiritus in occisi sanguinem irruere, cum eo misceri & è contra existimat. Ideoque fieri, vt præsente occisore spiritus in occisi sanguine moueantur, ac proprium corpus repetendo profluuium eiusdem excitent. Quamobrem hoc experimentum non vltra viginti quatuor horas differendum censet, quo temporis spacio spiritus in corpore adhuc superesse iudicat. Neoualdus verò mutuum illum iniratis spirituum discursum, & subitam transmigrationem, intelligunt omnes, inquit, quod nulli spiritus, quicunque tandem sint, è corpore foras eleuant, nedum vt extra missi, in aliud contrarium immigrent, & eo vsque lateant, donec eis, à quo exierunt, se præsentem sistat. Censet igitur superstitiosum, & Diabolicum quid sapere, cuius suspicionem ipsi auget, quod in locis quibusdam membrum resecent, arefaciant, & fumo indurent, quod in præsentia occisoris sanguinem adhuc effun-

effundere sancte affirmant. Quem ritum inde procul dubio transtulere, quod antiquitus digitus mortuo abscindebatur, actitarum augendo luctui, vt ait Cic. *Et nempe qui ante ἀποθέωσιν mortuo digitum præcidere ad quem seruatum iusta fierent, postmodum, quoties luctū vellent restaurare.* Festus, *membrum abscindi mortuo dicebatur, cum digitus ei decidebatur ad quem seruatum iusta fierent rel quo corpore combusto.* Vide *Paracels. in fragm. lib. Philos. de sanguine vltra mortem* Lucretius Poeta & Philosophus Epicureus, ter filis animæ cupiditatis scilicet, & vindictæ viribus attribuit, dum in lib. 4. cecinit

-- ---Libido

Incitat irritans loca turgida semine multo,
Idque petit corpus mens vnde est saucia amore
Namque homines plerumque cadunt in vulnus & illam
Emicat in partem sanguis, vnde icimur ictu
Et si comminus est, hostem ruber occupat humor.

Quos versus citat *Franciscus Valeriola lib. 2. obseruationū* & postea subiicit: Hoc carmine Lucretius non aliter vult sanguinem hominis oculorum radiis affecti, & vulnerati, in vulnerantem prolabi, quam hominis gladio cæsi sanguis prolabitur in cædentem. Et quod experientia sæpe docet, & id ipsum quoque me vidisse testari plena fide possum. Nam cum Iacobus ab Aqueria Patritius Arelatensis vulnere mortuus esset, & qui vulneraret, à magistratu comprehensus in conspectum cadaueris delatus fuisset, vt occisum recognosceret, & scelus fateretur, mox ebulliens sanguis multorum feruore & bullis prodire è vulnere, & è naribus cœpit spectantibus cunctis. Exemplū simile recenset *Engelius in itinerario rerum Marchicarum fol 173. Saurius in Diario fol 343. Martinus Weinrichius de ortu monstrorum. c. 17.* Cuius miraculi hæc adferri ratio potest quod quum nondum calor omnis in recens occiso corpore extinctus sit, nec agitatio omnis visq; interior nob. occulta quieuerit: Vltionem

nem quidem tacita illa vis clamat, moxque ad vindictā bilis accenditur, ab ea sanguis inflammatur, & ad vulnus confestim prorumpit, patefacto ad exitum per vulnus meatu. Eodem concurrunt & spiritus, qui quoniam leues sunt, ad occidentem hominem si coram steterit, volantes in eum migrant, seruanturque natiuo calore aliquandiu, nempe ad horas plus minus sex aut septem, quo quidem in tempore, si qui interemit in conspectum interemti veniat, & incrementum intente suspiciat, vulnus cruorem versus interimentem eiicit: quod quemadmodum diximus, nondum in cadauere recens iugulato, ad horas aliquot vis omnis interior calorque extinctus sit, qua quidem latente & interiore vi efficitur, vt sanguis spiritus suos repetat, atque etiam spiritus ipsi suum attrahant sanguinem, vnde ipsius manatio & effluxus consequitur. Sed magis & recte arbitrandum est Dei iudicio arcano maleficum hominem, tali signo, notaque peculiari ac propria designare ac procedere, volentis id fieri, censendum est. Sanguis namque interfectorum ad sui vindictam clamat, ad Dominum, vt Gen. *4. scriptum est.* Idem fere iisdem verbis repetit hic autor eodem *lib. 2. obs. 9.* vide *Gregoriū Horstium Torg. M. D. in scepsi Physica medica de casu quodam admirando q. 2.* vbi allegat *Cornel. Gemmam lib. 1. cosmocrit. c. 6. Bodin. lib. 2. Damon. c. 3. Petr. Gregor. Tholos. & Prosper Farinac. ICtos ac Philosophos Petrum Apponensem And. Libauium tract. de cruent. cadau. th. 130 Martinum Delrio lib. 1. disquisit. mag. c. 3. q. 4. Philip Melancht lib. 1 Phys. Gregor Tholos. lib. 36 syntagm. iur. vniu. c. 20. n. 8. Galeot. Mart. lib. de promisc. doctrin. c. 22.* In cadauere exangui sanguinem stillante præsente autore, si à diuina prouidentia recedamus, nulla sese manifesta affert ratio, inquit *Hieronym. Nyman. in orat. de imaginatione p. mihi 77. q. 7.* & merito inter miracula hoc ponendum, & arcano Dei iudicio atque ordinationi singulari adscribendum, qui mirando modo interdum homicidas ad pœnam rapit, sanguine humano, quod de Abele legitur, ad Deum clamante & vindictam repetente, ibidem *n. 3.* Quod sanguis

guis interfecti in præsentia occisoris è corpore erumpat, non est naturale, ideoque non fit vi imaginationis, sed causæ supernaturali est adscribendum, vel Deo, vel angelis iniquitatem interfectoris detegentibus, & vlciscentibus, vel Diabolis, aut innocentes falso accusare, aut nocentes ad desperationem perducere conantibus. *Thomas Fienus de virib. imaginationis q 24.* Quin etiam occiso Angelosso Fusco Cardinali S. Marci à cubiculario in horto, clam, hac industria compertum fuisse homicidam commemoratur. *Gilbertus de clara comes Glouerniæ* maximis affecerat iniuriis B. Thomam Herefordiensem in Anglia Episcopum, quod Ecclesiæ iura ipse tueretur, ille inuaderet: obiit interim diem suum Episcopus absens. Necessarii autem eius ad eius Ecclesiam deferenda ossa prorsus carne ablata curauerūt: Mox vbi obuius factus est Comes, à puris nudatisq; omni carne ac sanguine ossibus plurimus manauit sanguis, id conspicatus Comes terrore concussus pœnitentiaque ductus Ecclesiastica iura omnia à se inuasa restituit, vt tradit incerti nominis author in vita ipsius *Thomæ apud Surium 7. 5. Octobr.* Cum igitur is sanguis à siccis ossibus manarit ad concutiendum scelesti hominis & impœnitentis cor, nullaque spirituum aut infectionis sanguinis ebullitio considerari hoc casu potuerit, quandoque S. Thomas absque vllo vulnere diem suum obierat, necessario illud consequens est, sentiendum esse in occiso corpore, Deum id miraculo agere, quo homicidæ culpa grauior agnoscatur, & se pœnitentiæ dolore conficiat.

CAP. XXIV.

De Henrico Abbate Blesensi nequiter occiso à suis, stillante sanguinem.

VT refert *Cantipratanus lib. 1. mira. c. 16. § 2.* Venerabilis Henricus Canonicus regularis in orbe Blesensi in monasterio S. Mariæ de Burgo medio, cum diu Parisiis studuisset, in Abbatem licet inuitus ab omnib. est electus, hic cum in religiosos suos, tum hortatu ad regulam seruandā, ad honestatem vitæ, & vt tenerent

In manibus disciplinã, tum rigore vsus esset, ab illis per tres scelestissimos ribaldos cõductos crudeliter occisus est. Roberto autem tunc socio eius euadẽte, corpus occisi ad monasteriũ delatũ est, & in Ecclesia collocatũ. Et vide lector, quid actũ sit & ꝓbatũ. Statim enim, vbi sequenti die ad sepulturã occisi, de locis vbi extra manebant: rei criminis ecclesiã intrauerũt: Ecce vox sanguinis fratris sui Abel de terra, quasi vindictã clamans, per vulnera, quæ à loco occisionis sicca remanserant, abũdantissimo sanguinis impetu in eorum præsentia manauerunt &c.

CAP. XXV.

De puella à Iudæis crudelissime occisa sanguinem stillante.

ALiud exemplum idem *Cantipratanus refert lib. 2. miracul. c. 29.* § *22* ꝙ anno ab incarnatione Domini M. CC LXXI. factũ est in villa Theutonice Pfortzheim/ nomine, contigit, vt quædã malignissima vetula Iudęis familiaris effecta, puellã eis annorũ septẽ orbatã parentib. venderet occidendã: Hanc igitur in secreto, super plura parialia teaminum obstructo ore eius, in omnib. fere iuncturis membrorũ incisionib. vulnerarũt maximo conamine sanguinem exprimentes, & in ipsis linteaminib. diligentissime receptantes. Hanc autem post tormenta defunctã, Iudæi in aquam fluidam ꝓpe oppidũ ꝓiecerunt, & super eam lapidũ congeriem posuerunt. Tertia vero vel quarta die, per manũ erectã ad cœlũ, à piscatorib. est inuenta, & in oppidũ deportata horrentib. & clamantib. pop. ab Iudæis impiis tantum flagitium esse perpetratũ. Erat autẽ in vicinia *Marchio de Baden*, qui mox audito tanto piaculo, peruenit ad corpus, statimque ipsum corpus erectum residens tetendit manus ad principem, quasi vindictam sanguinis vel forte misericordiam implorarct. Post horam vero dimidiam se deposuit defuncti more supinum.

Adductis igitur ad hoc spectaculum impiis Iudæis, statim eruperunt omnia vulnera corporis & in testimonium

nium horrendę necis copiosum sanguinem effuderunt. Iudæi capti pœnam dederunt.

CAP. XXVI.

Cur vero non semper autore præsente sanguinem stillat occisus?

RESP. *Hieronymus Nymannus in orat. de imaginatione q 7.* Cum hic Deus liberrimum sit agens, libere quoque omnia administrat, neque semper hoc modo autorem cædis prodit, vel quia autor satis notus, & peremtus ipse causam præbuit, aut talem pœnam antea suis facinoribus meritus est, vel quia autorē ad aliā maiorem reseruat pœnam, vel quia improuisa & inuoluntaria plane fuit cædes, venia aliqua digna. Quare merito laudandi sunt prudentes & eruditi illi iudices, qui in hoc casu caute & circumspecte sententiam pronunciant, nec volunt eum, ad cuius præsentiam sanguis ex vulnere profluxerit, quæstionibus statim subiici, aut capitali supplicio adfici, nisi alia firmiora & certiora concurrant indicia.

CAP. XXVII.

An illa sanguinis emissio faciat certum indicium ad torturam?

IVrisperiti ita verum hoc statuunt, quod cadauer occisi emittat sanguinem coram auctore, vt ponant sufficiens indicium ad torturam *Boer in decis 166. Paris. de puteo in tr. Syndicatus in verb. Tortura. c an stetur dicto torti* allegat ad hoc illud Apocalyps. *vidi animas interfectorum clamantes ad Deum dicentes: Vsquequo Domine non das iudicium & vindicas sanguinem nostrum de interfectoribus nostris? Marc. Anton Blancus de iudiciis n. 408.* magnum dicit esse indicium, à qua experientia non erit per iudicem recedendum, cum sit rerum omnium magistra *c. cum sit. de elect. in 6. & Clem. 1. de atate & qual. & istud dicit* Paris de put. admisisse, ꝑ vero *Henr. de Grād in* colli-

collibet 7 & cap Thad. med. & Angel. in tit. de homic. qui dicit hoc accidisse in quodam Ægyptiaco, subdens ipse Par. hoc fuisse expertum Romæ, tempore eo, quo occisus fuit Cardinalis S. Marci, & *Hipp. in sua practica in §. diligenter n. 181.* dicit se expertum esse istud in ciuitate Albinganæ, & vidisse per præsentiam occisoris cadauer effluere, & emittere sanguinem, & istud habet communis hominum sermo, quod per præsentiam occisoris cadauer emittat sanguinem, ex quo dixit, in verb. *Incantationes*, quod ista emissio sanguinis non prouenit ob incantationem, seu sortilegium, sed est quoddam à natura insitum, de quo ratio reddi non potest. *Nicolaus item Florentin. in sermo. 5. pract 1. c. 6.* dicit quod suo tempore sanguis emanarit in præsentia homicidæ, qui ob id præhensus tortus sit, & ex confessione condemnatus. *Conciliator* quoque in problematib. Aristotelis *sect. 7. problem. 6* idem Venetiis euenisse scribit. *Lemnius de occult. nat. mirac. c. 7. Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. q q. c. 270. n. 16 & lib 1. præsumt. 89. n. 128.* tū etiam *Chilianus* König *Iurisconf. Germanus in practica & processu iudiciali Tit.* Von dem erforschlichen Bericht/ *c.* von den scharpffen Fragen/ *n 12* vt & post alios quos refert compilator decisionum siue præiudicorum Cameralium ordine alphabetico digestorum sub tit C. in verb. causæ criminalis. *ex Hieronymo Magg. lib. 3. miscell. c. 5. Marsil in pract. crim §. Diligenter n 181.* videtur causam referre in diuinationes & incantationes, cum ait: Ex istis diuinationibus & incantamentis sæpe animus hominis inclinatur, & in ducitur ad credendum aliquid esse, vel non esse, ibique ponit exemplum à se inductum, quod refert *P. Binsfeld. in tr. de confess. malef. dubio 4. conclus. 8. p. mihi. 137* *Marsilius* vero non præstitit fidē tali rei, dicens, quod nullibi probetur. Dicit autem *Boerius de Marsilio* (eo forte quod Dd. non vidit) multi autem Doctores sunt pro hoc iudicio, quos refert *Boetius*. Causa autem non videtur, nisi referre posse in diuinam dispositionem, in horrorem & detestationē tanti criminis, dissentit *Gomez. var. resol. tom. 3. c. 13* vbi

scribit

ſcribit, ſed ſaluo meliori iudicio, ego teneo contrariũ, & nullo modo practicarem, quia hoc indicium eſt nobis incertiſſimum, & ex cauſis nobis incognitis, & valde remotis, ideo non eſſet practicandum &c. quem ſequuntur *Zanger. de quæſtion. c. 2 n. 60. Anton. Theſſau. deciſ. 173. Ioſephus Maſcardus vero de probat. vol 2. concl. 867. n. 24.* tenet, quod indicium faciat concurrente ſcilicet fama, vel inimicitia rei, alias non: prout idem tradidit *Iac Nouellus reg. 184* quos & ſequitur. *Godelman. de Lamiis lib 3 in copia reſponſ. lit. D. 2. Franc Caſon. in præmiſſis de iudiciis & Torment. c 3. per tot. Henricus* Rauchdorn *in pract. & proceſſu crimin. fol. 17.* his lubens nouiſſime conſentit *Henricus Bocerus præceptor meus venerandus* in placitis Feudalibus in Academia Tubingenſi *in tract. de quæſtion. & tortur. c 3. n. 21. p. mihi 99. & ſeqq.* Refert *Angelus in tit. de Homicidio.* Medicum Tondeum ſingularem tractatum de hac mirifica ſanguinis effuſione ſcripſiſſe, in quo ſufficientes cauſas indicat, quas Deus ita ordinauit, vt ita homicidium manifeſtaretur & puniretur.

CAP. XXVIII.

De cadaueribus illorum qui ſibi ipſis manus intulerunt?

CIRca infelices illos homines, qui ſibi ipſis manus inferunt, miranda accidunt. Auehenda interdum fuerunt eorum cadauera per longum iter, vt in profluentem, culeo inſuti proiicerentur; bennæ vel carro impoſitos, equi in deſcenſu collium vix trahere potuerunt, in aſcenſu vero equis non fuit laborandum, cum ſponte incitato curſu carrus ferretur *Lauat. de ſpectr. p. 1. c. 17.* pœnam illorum fuſe recenſet *Elbertus Leoninus in proceſſu criminali ad tit. C. de bonis eorum qui mortem ſibi conſciuerunt. n. 3* addens: ex quacunque cauſa quis ſe interfecerit, ſiue tædio vitæ, ſiue ex impatientia doloris, ſiue metu criminali, ſiue alia ratione, corpus in ſterquilinio cum canibus communem ſepulturam habet, *Gl. in c. placuit. 33. q. 5.* vel quod ex conſuetudine

 magis

magis vsitatum, furca suspenditur, & bona confiscantur. *Roman sing. 262. incip. Fui interrogatus Iacob de S. Georgio in tr. de feud §. dictiq; Vasalli n. 19. Io. Igneus in l. 1. §. si sibi manus. n. 21. D. ad Syllan.* addo, sublimine domus detrahi, & ad patibulum sepeliri, nisi appareat ex dementia aut furore animi mortem interuenisse, aut casu, quem in puteum prolapsum, vel de gradib. decidisse, aut aliter casu fortuito periisse, de qua re insignia, & ad vsum praximque pertinentia exempla habet *Dec. cons. 438. Socin. Nepos cons. 51. n. 1. part. 1. & Io. Baptista Ferretus cons. 91.*

CAP. XXIX.

De Origine.

ORigenes mortis desiderio diu flagrasse dicitur, & vltro eum occasiones captasse, quod quidem vix est, vt potuerit ab vllo bono proficisci spiritu, cum videamus, nec ipsum quidem Dei filium ad supplicium suum maiores attulisse animos, quam opus esset, quippe qui orauerit etiã patrẽ, vt (si fieri posset) declinare id liceret; Sed vt eius tamẽ, non suæ satisfieret voluntati: ex quo apparet id mortis genus honori ei fuisse, etiã tantũ abest, vt ad id cupidius ferretur, nisi quatenus & patri erat obsequentissimus, & nostrã sitiebat salutẽ, ꝙ cũ ita sit, qui fieri potest, vt ꝑsentiore fuerit, vel Origenes, vel quispiã alius animo, quã ipsemet Dei filius? Vix igitur carere desideriũ eiusmodi aliqua temeritate poterat, & nimia eaque inani sui confidentia, ꝙ accidere etiam potuit, minime animaduertente, *Iacob. Acontius lib. 8. de stratagem. Satan.*

CAP. XXX.

De bonis feudi, vasalli qui se ipsum interfecit.

NOtat *Matthæus ad decis. Guid. Pap. q 341* ꝙ interfectio sui ipsius, non est iusta causa, vt Dominus possit auferre ab eius filiis, vel agnatis feudũ, & ita determinat *Bald. in c. 1. in tit. Quib. mod. feud amit. Iacob de S. Georgio de feud. in verbo Dictique Vasalli n. 19.* vbi dicit: ꝙ cæteri Dd. eum sequuntur. Est enim hoc delictũ Vasalli nullomodo concernens offensionẽ Domini, merito

rito propter illud non debet Vasallus, neque eius hæres feudo priuari *Iul. Clarus. §. Feudum q 58.*

CAP. XXXI.

Num cadauer mortui hominis pœna adfici poßit?

NEgatiuam tenet *Accursius in li. 3. de iurisd.* ibi. (merum imperium est, habere gladii potestatem in animaduertend. facinorosos) astipulantur *l. defuncto. D. de pub. iudic.* ibi: Defuncto eo, qui reus fuit criminis, & pœna extincta, & hanc communem attestantur *Hieron. Cagnola in l. pupillum qui §. in hæredes n. 4. vers & prædicta D de reg iur. Clar. lib. 5 sent. recept § fin. q 51. n. 12. Ioannes Baptista Nicolai in tr. de vtriusq; iur. regul. in verbo sine regula* neque mortuo accusato, transit in hæredes accusatio *text. in l. 1. C si reus vel accus. mort. fuerit* & hanc dicit esse omnium receptissimam sententiam *Placa lib. 1. delict. l. 38. n. 2.* Etenim si mors omnia soluit, & pro pœna ipsamet est, sufficiet istud, neque cum laruis luctari cõuenit. Iniuriarum enim nomine, obviolatũ cadauer recte agitur *l. 1. §. quoties. de iniur.* imo in cadauer sæuisse capitale fuit, puellæ cuidam Donarus in Nerachio. Mortuo siquidem Leone lepores insultant Mors vltima linea rerum est, & damnata semper à sanioribus illorum inhumanitas, qui & in cadauera sæuierunt, eis denique sepulturam negarunt, & bene Ouidius canit:

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni,
Pugna suum finem cum iacet hostis habet.

Et conuenit cum Virgilio bono magistratui:

Parcere subiectis & debellare superbos.

Placet distinctio *P. Binsfeldii. Th. D. suffraganei Treuirensis in l. 5. q. 2. C. de malef & mathem.* hoc modo. Aut moritur in carcere morte naturali ante confessionẽ criminis, aut post eius confessionẽ: aut ipsemet reus sibi mortem conscientia ꝑpetrati sceleris motus infert, aut aliqua debilitate illata, ratione torturæ, aut accidentaria

incidit in morbum, & moritur in vinculis. Secundum priorem distinctionem, neutiquam in corpus sæuiendum, sed sepulturæ Ecclesiasticæ tradendum est, cum talis sit Christianus, nec de crimine conuictus, ob quod Ecclesiastica sepultura priuari possit, quare more aliorum Christianorum hoc corpus sepelire conuenit, posteriori distinct. Ecclesiastica iure priuantur sepultura. Probatur ex *text. in c. placuit 23. q. 5 Glos. & Dd. ibid.* & vult Gl. tales habere debere caninam sepulturam, quia tales moriantur in statu peccati mortalis, & permanent in damnatione perpetua, vnde merito sunt eorum corpora reiicienda à societate aliorum.

CAP. XXXII.

De Prytanæo Atheniensium iudicio.

IN Prytaneo Atheniensium etiam ferrum, & omnia inanima, cum quibus patrata fuisset cædes, iudicium subire tenebantur, & quotannis celebre securis illius causa agebatur, quæ Erechteo Athenis imperante bouem primum ad aram mactasse dicebatur. Cum enim sacerdos, quem illi βουφόνον vocabant, boue percusso, & humi strato, relicta ibi securi ocyus ex Attica aufugisset, non comparente homine, securim in iudicio tunc primum Athenienses constituisse perhibentur, ex quo illam postea quotannis iudicandi solennis inoleuit consuetudo. *Nicolaus Leonicus de var. hist. lib. 2. c. 30.* Statua Necones, autore *Suida*, vel Diomedis si *Eusebio lib. 5. περὶ παρασκ.* credimus, quod ruens hominem viuum oppressisset, & extinxisset, rea cædis ab interemti hæredibus acta, damnata & in mare demersa est. Ridicula sane. Forte vt *Gul. Fornetius select. lib. 1. c. 10.* vult propinquorum dolorem leniit pœna reddita, cognatisque & affinibus interemtorum solatio fuit *l 28. capitalium §. famosis D de pœn.* adducens illud *Apuleii lib. 3. & lib. 5. de asino vindicta solatium data & Plinii lib. 3 epist. 14. Quinctil. declam. 381.* Nil dulcius est vltione læsæ exemplum aliud refert *Leonicus d lib. 2. c 65* Subdit & aliā rationem Forner. forte, inquit, exemplo supplicii edito,

statua-

statuarii & tectones, sive quorum agebatur honos, cautiores facti. Ast quæ pœna in statuam rem inanimatam infligi poterit, quæ solatio interemti cognatis sit? nulla certe, nec ex eo statuarii cautiores fiunt, cum certe non eorum periculo, aut culpa, sed sæpissime casu inopinato, & Deo fulminante turres & prælustria ædificia & statuæ ruant.

CAP. XXXIII.

De reis criminis læsæ maiestatis qui etiam post mortem puniuntur.

LIcet regulariter morte delinquentium crimina extinguantur, est tamen speciale in crimine læsæ Maiestatis, vt de eo etiam post mortem cognosci & procedi possit, & defuncti memoria damnari, vt est text. *in l. fin. C. ad l. Iul. Maiest.* Et ita tenuit *Gl. in §. per contrarium in verba damnata. Instit. de hæred. quæ ab intest. def.* quā dicit esse notabilem & approbatam *Ferret cons. 31 n. 8.* vbi refert multa exempla, in quibus ita seruatum fuit. In quo proposito videnda sunt, quæ in facti contingentia consuluit *Cæpol. consil. crim. 17 & Ruin cons. 3. lib. 5.* Quod tamen intellige *secundum Clar.* vt procedat, quādo crimen hoc committitur contra principem, vel Remp. Romanam, sed quando committitur contra alios principes inferiores, vel ciuitates, vtique extinguitur morte: Et hæc est vera & commun. opin. vt dicit *Boer. de seditiosis in 6 præsuppositon. 20* quem refert *Gigas in tract. de crimine læsæ Maiestatis fol. 74 n. 24* Hanc etiam esse communem opin. attestatur *Alciat. in cons. 467. n. 1.* Et intellige, quod sit commissum contra personam ipsius Imperatoris, vel directo contra ipsam rempub. Et sic in capite, non autem in aliis. Et ita in facti contingentia iudicauit consilium Neapolit. vt refert *Grammat decis. 6. & Clarus lib. 5. § læsæ Maiestatis n. 16.* ibique annotat *Hieronymus Giacharius lit. M.*

CAP. XXXIV.

An cadauera suspensorum rotæ impositorum vel aliter punitorum deponi & sepulturæ mandari possint?

HOdie secundum communẽ consuetudinem in furca patibulo & rota relinqui cernimus. Verum si inspiciamus iura, contrarium seruari deberet. Cautum siquidem in *l.1. & l.3 D.de cadauer.punit.* Corpora eorũ, qui morte damnantur, cognatis ipsorum neganda non esse: Item corpora animaduersorum quibuslibet petentibus ad sepulturam danda esse, fac. *l.11. C.de relig.& sumt.fun.* quę sine petitione obnoxios criminum digno supplicio subiectos, sepulturæ tradi non vetat. Sequuntur *Anton. Gomes. in com Var. resol. tom.3 c.14. n. 8. Iul. Clarus lib 5.recept.sent.§.fin.q.100.n.*1. accedit ius diuinũ, *Deut. 21.* in fin. ibi. quando fuerit in aliquo peccatum morte dignum, & interfectus fuerit, age eum in crucẽ, cadauer vero eius non pernoxerit in ligno, sed mox sepelies illud, illo eodem die, quoniam maledictio Dei est suspensus, & non pollues terram tuam &c. Item *Apocal. 11 cap.* refertur inter notas Antichristi, corpora defunctorum non sepelire, ibi. corpora eorum non sinent poni in monumenta: corpora eorum iacebunt in plateis *Psalm. 79. itidem ibi n* 3. Nec est qui sepeliat: insuper iura canonica simpliciter, & indistincte loquuntur, posse corpora damnatorum sepeliri vt est *text. in c. quæsitum* 53 *q.2.& c.placuit* 23. *q.*5. *& in Clem. 1. de pœn & remiss.* non attento, quod interpp. *Iul. Clar. d. loc. Barth. Chassan in consuet. ducat. Burgund Rubr. 2. §. 1. verbo il confisqueles bienb. n. 5 Hostiens in rubr. de sepult. in 4. vers quid de suspens Goms. d. n 8. suprad.* iura canonica intelligant, vt procedant, secundum distinctionem iuris ciuilis, h. e. vt id â principe, vel alio seculari iudice petatur, & impetretur, quoniam præd. opinio fauorabilior, magisque pia ducitur Sicque etiam retinenda, prout etiam seruari vidi in ducatu Charitinorum, vbi post tres horas cadauera suspensorum tolluntur, terræque mandantur.

Praga

PragæBohemorum, vbi per diem relinquuntur in furca, accedente nocte tolluntur, & terræ mandantur, vt & Parrhisiis Galliarum seruari vidi. Petrus Rauennas in quodam tractatu incipiente: Valete cum perpetuo silentio, ad clariss. Theolog. Professorem, Iacobum de Alta platea, tentat probare corpora suspensorum & latronum non esse in locis publicis relinquenda, sed sepulturæ tradenda. Habetur hic tractatus in fin. Alphab. aurei vtriusque iuris, eiusd. autoris, vt refert *P Binsfeld. in tract. confess. malef. pag mihi. 379.* An vero deceat, vt pro talibus solemnes fiant exequiæ, prout pro aliis Christianis, qui cum honore vitam finiuerunt, fieri cõsueuit, negat *Binsfeld.* pie autem facere amicos, & sanguine iunctos, qui priuatim pro eis orant, sacrificia offerunt, vel curant offerre, & satisfactoria opera exercẽt.

CAP. XXXV.

An punitorum & maxime suspensorum cadauera Medicis ad anatomen concedi debeant?

HAnc quæstionem tractat Speckhan / in *centur q. iur q 8.* & cum communi vsu & consuetudine affirmatiuam tuetur sententiam, allegans *Bartol. in lege vlt. D. de cadau punit.* qui tamen nihil determinat, sed tantum mouet, cogitandumque relinquit, *Dec. in l. imperium. 3 n. 18. de iurisd.* 3. adducit fundamenta Dd. quod perfecta medicinæ cognitio non magis, absque anatomicis dissectionibus comparari possit, quam vera aliqua alterius artis scientia, absq; ipsiusmet proprii & genuini subiecti notione, insuper magni ponderis & momenti medicinam esse addit, illique omni ratione esse fauend. auxiliumque omne lubentissime suppeditand. 4. Quod dissectio illa publici boni, & vtilitatis gratia suscipiatur, vt scilicet medici peritiores fiant, additque, quæ vtilitatis causa fiant publicæ, licet in contumeliam alterius cedant, non esse redarguenda *l. quod reip. D. de iniur.* 5. Omnem honorem illis esse denegatum, vtpote qui serui pœnæ fuerunt *l. capitalium 28. §. famosos D. de pœn.* 6. Allegat suprad. *l. vlt. de cadau. punit.*

punit. cum cadauera cuiuis petenti ad sepulturam concedi soleant, maxime medicis esse concedenda, vtpote à quibus ipsis sepultura contingat honesta. 7. σκέλεθα ossiumque istam compaginem, & quotidianā eius inspectionē, cōducere nobis ad demonstrand. scil. miseriā nostram conditionem, fragilitatem, & imbecillitatē. 8. Prodesse nobis ad considerandum admirandæ sapientiæ architecti & opificis huius structuræ corpus. 9. Ducere nos & inuitare hanc considerationem, ad ardētem & seriam gratiarum actionē, quæ ipsi opifici debetur. Verum negatiua sententia, quam & Empirici veteres secuti sunt, magis mihi probatur, vtpote non tam sæua, & iniqua in mortuos, nec tam fœda, nauseaque plena, non obstantibus supradd. *Nam d. l. vlt. de cadau. pun.* loquitur ea iustitiæ plena, de petitione ad sepulturam, quod cuiuis petenti corpora animaduersorum ad sepulturam danda sint, vnde nulla meo iudicii extensio ad anatomen colligi potest, vtpote quæ maxime contrariatur sepulturæ. & tenet *l. 1. d t* corpora eorum qui capite damnantur, cognatis eorum neganda non esse, & refert *Lucius 12 placitorum 10.* permissum à senatu Parrhisiensi fuisse cognatis cuiusdam Aduocati Maiestatis damnati cadauer sepulturæ dare. 2 *D. l. 3 de iurisd.* definit merum imperiū, quod nimirum sit habere gladii potestatem ad animaduertend. in facinorosos: ea vero animaduersio consistit in executione sententiæ, &
3 pœnæ viuorum, non etiam mortuorum 3. Negatur, ꝙ perfectio medicinæ absque anatomicis dissectionibus comparari nequeat, vnde enim in veteri testamento Medici suam perfectionem adipiscebantur? qui tamen peritissimi in ea arte fuerunt, quod etiamnū hodie Iudæi Medici satis superque testantur. Vnde serui Medicinæ suæ exercitationes nacti? quibus licitum fuit medicinam exercere, & tamen de iure ciuili pro nullis habebantur, nullumque dicebantur caput habere *l 22, l. 107. l. 209. D. de reg. iur. l. 59. in fin. D. de capit. demin l. 2 §. 2. D. ad l. Aquil.* vbi serui æquiparantur quadrupedibus *l. 1. §. 1. D. de his qui sunt sui.* ibi. Dominis in seruos vitæ necis-

necisque potestatē fuisse. Vnde illis experientia medicinalis? putat ne quispiam vilib. illis hominib. sæuitiam in defunctorum cadauera permissam fuisse? & tradit *Gl. ad rubr. C. de profess. & Med lib 10.* nullam aliam rationem esse, quod Medici separentur à Professorib. quam quod etiam Iudæis & seruis medicinam exercere liceat, qui tamen ab omnibus aliis dignitatib. & facultatibus sunt exclusi. 4 Adducta *l. quod reip. D. de iniur.* loquitur, quod reip. causæ venerandæ secundum bonos mores fit, etiamsi ad contumeliam alterius pertinet, quia tamē non ea mente magistratus fecit, sed ad vindictā publicę maiestatis respiciat, actione iniuriarum non tenetur. Respicit igitur lex solam vindictam, non duplicem pœnam, quæ in anatomia esse videtur: 5. *D. l capitalium §. famosos* loquitur de famosis latronib. ipsorumque pœna, quod nimirum furca figendi, vt & conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus, contrariatur ergo potius priori sententiæ, quia cessaret ille terror, absumtis illis de furca, & sic non fieret satis legi & sententiæ, addit tex. vt & solatio sit cognatis, & adfinib. interemtorum eodem loco pœna reddita. 6. Cottidie & singulis fere horis imbecillitas, miseria, & fragilitas nostra nobis ob oculos ponitur, quando nimirum cœmiteria pertransimus, defuncti ad sepulturam efferuntur, quib. melius nobis ostenditur mortalitas nostra, & maior inde consolatio percipitur, cum honestam sepulturam alicuius videmus, quam anatomicam dissectionem. 8. Eodem modo admiranda illa sapientia architecti & opificis huius operis melius nobis demonstratur per inspectionem cuiusuis operis, præsentem namque refert quælibet herba Deum, & quicquid etiam minimum in rerum natura, intuemur, argumento nob. est, omnipotentiæ & sapientiæ immensæ Dei. Lucet enim in tota natura rerum, miranda Dei opificis sapientia, & vestigia præsentiæ diuinæ tam expressa vndique oculis obuersantur, vt animos non prorsus feros aut cyclopicos euidenter conuincant, quod sit Deus, cogantque eos assentiri diuinitus insitis, de prouidentia, notionib. Vltimo

eadem

eadem ardens & ſeria gratiarum actio oritur, ex proxime præcedentibus artibus, atque ex intuitu oſſium, oririque debet ad cuiuslibet horæ ſonitum: de conſuetudine tamen paſſim obſeruatur, quod huiuſmodi corpora medicis dantur, habita tamē prius licentia à principe, vel ſenatu, refertque *Gomeſ 12 c. delict. in fin.* Carolum V. imperatorem, Anno 1556. perquiſiuiſſe ſub hac re conſilium vniuerſitatis Salmanticenſis, eamque reſpondiſſe, licere cadauera mortuorum medicis dari in vſum dictū, plura huc pertinentia habet *I Clarus in §. fin. q. 51. verſ. ſed hic incidenter Leoninus in proceſſu criminali ad l. eorum. vlt. C. de bon. eorum qui ſibi mort. conſciu.*

CAP. XXXVI.

Vtrum prætextu debiti ſepultura poßit impediri?

RESp. quod non, nec prætextu cuiuſcunque alterius obligationis *l. cum ſit iniuſtum C. de ſepult. viol.* nec debet inferri moleſtia infra 10. dies ab obitu, alias pro tunc eſt inutile, quicquid fit, vt in authe. *Sed nec ante C. de ſepul. viol.* qui vero ad domum morientis accedit, & ipſum vel alios moleſtat, vel rebus eius inſignia ponit, ipſo iure cadit ab actione, & in tantumdem heredibus iniurati condemnatur, & publicatur tertia pars bonorum ſuorum, & eſt infamis, & idem in eo, qui circa funus peccat *in auth. item qui demum C. de ſepul viol. ſumma Angelica in verbo ſepultura* § 34.

CAP. XXXVII.

De pœna ob debitum ſepulturam impedientium & praua quorundam locorum conſuetudine.

EST conſuetudo quorundam locorum, quæ mortui debitoris corpus ſiſti & arreſtari permittit, ne efferatur, aut ſepulturæ mandetur, priuſquam heredes debitum defuncti diſſoluant Hæc conſuetudo in crudelitate *legis 12. Tab.* rationem fundare videtur, vbi perfidi debitoris cadauer creditoribus lacerandum tradebatur vt late explicat *Aul. Gell. noct. Attic. lib. 12 c. 1.* Dicendum talem conſuetudinem crudelitatis plenam eſſe, & ideo non valere, cum hoc ignominioſum & ab omni humanitate

nitate alienum sit, adeoque publice intersit, non minus mortuos sepeliri, quam viuos conseruari *Bald. in l. fin. §. 7. C. negoc. gest.* Proinde de iure communi, pœna amissionis debiti in eos, qui sepulturam impediunt, constituta est, *per text. in l. cum te C. de sepulc. viol. & in l. quidam in suo D. de condit. instit.* vbi hæres laudatur, quod contra ignominiosum præceptum Testatoris cadauer in mare non proiecerit, sed in memoriam humanæ conditionis sepulturæ tradiderit. fac. *text. in l. quod vero contra cum l. seq. de ll. Panorm. in c. ex parte. n. 3. de sepultur. Petkius in tr. de iure sistendi. c. 5.* Et ideo debitoris heredes impedientem sepulturam ex causa debiti, actione iniuriarum conuenire, & ad pœnas communis iuris agere possunt.

CAP. XXXVIII.

De articulo mortis.

QVis dicatur esse in mortis periculo? Resp. infirmus quotidiana febre, obsessus in loco, vbi machinæ iaciuntur, vel à talibus hostibus, qui eum volunt occidere, nauigaturus per loca periculosa, vel iturus per loca insidiosa, aut ætate confectus, & huiusmodi vt patet *l. mortis causa cum trib. seqq. D. de donat. causa mort.* vel dic, quod arbitrium boni viri sequendum est, vt pensatis conditionibus iudicet, si probabiliter imminet periculum mortis, & tunc dicatur in periculo mortis.

CAP. XXXIX.

An constitutus in articulo mortis matrimonium contrahere possit?

QVæ possint explicari per constitutum in articulo mortis, post *Barba. in c. Raynutius late materiam agentem col. 3. Extr. de testam. Bursat. cons. 40. n. 72. lib. 1.* dicit omnes actus posse valide fieri ab eo, & effectū sortiri, vide *Abbat.* & addeat. *in c. cum dilectus in 3. notab. Extr. de success. ab intestat. Aymo consil. 6. n. 57.* vbi probat posse testari, testificari, & matrimoniū cōtrahere, *Ceph. cons. 276. n. 33.* intellige nisi esset tam ꝓpe mortē, vt sensum amisisset. *Bursat.* vbi supr. *Abb. & addent. in loc. cit.* &

quo

quoad matrimonium, communem esse dicit *Excell. Innocent Sorbolongus in elegantiss. pro sorore consil. n.126. post Paris.cons 13 n.68 lib.1.& Ruin 78.n.8.vol 3. Thomas Actius de infirm.n 2.in procem.57.58.* Et matrimonium ab infirmo contrahi posse dicit *Alex.in L.Gallus in pen. col 6.de lib.& posth* etiamsi si sit in articulo mortis *c. 2. vbi Gl. Extr. de coniug. lepr.* quia ea quoque nocte, qua moritur, generare potest vt dicit *Guil. Bened. in d. c. Ragnutius p.1 in verb. in extremis n.13. Extrem. de Test.* refert *Surdus decis. 325. citra fui Actius d. tract. lit. M. verbo Matrimonium.*

CAP. XL.

Num iniuria fiat mortuo sepulto ad patibulum?

EX superiorib. in parte 7.c.1.& p.8 c.7. patet, cum ab omnibus gentibus semper honeste fuerint habita sepultura, maximam ipsi inuri iniuriam, eiusque amicis, qui ad patibulum sepelitur, vt cõtingit plerumque in carcere morientibus ante, vel post confessionem. Item maxima infertur iniuria ei, qui ad patibulum pingitur pro vt vidi Bononiæ in Flaminia, Italię regione, vbi in palatio pedibus aliquis suspensus depictus cernitur, cum hac inscriptione:

Vgolino Menzano fila tagliero traditore alla patria M. DC. I.

Hinc & Carolus vltimus Dux Burgundiæ, sęuitiæ terminos transgressus est, cum vno die 500. in deditionem acceptos Heluetios suspendit, quod furcis Caroli ipsius atq; procerum eius simulacra appenderant, in ipsius contẽtum. *Baptista Fulgos lib.9 c 2.de crudelitate.* Sed quid Arbogastus? Hic præsul Argentinensis 658.obiit, & ad suam petitionem ad patibulum sepultus est, maximam humilitatem eo indicans, quod non in vrbe, sed extra, vt Christus quiescere voluerit. *Iren. lib 3. c. 46.* scribit de eo, quod regis Dagoberti filium à mortuis suscitauit. *Munsterus in Cosmograph. & Bruschius de Episcop Balæus centur.14.c.81.*

De Pœna coeuntis cum mortua.

ADeo luxuriosos & detestabiles inuentos quondã fuisse homines, exempla adsunt. Cypselli Corinthii Tyranni detestanda veneris cupiditas fuit, cum Melissæ vxori iam mortuæ libidinose se commiscuit, quæ res fidem iis præbet, quæ ab Herodoto de Ægyptiis scripta fuerunt: Ait enim, apud eos funerum curatores, cum iis venerem exercuisse, quorum corpora sepulturæ mandata acceperant: Propter quam iniuriã apud Ægyptios mos inoleuit, vt corpora sepulturæ curatoribus quarto die duntaxat post mortem crederentur, vt fœtor ab eiusmodi iniuriã mortuorum corpora defenderet. ¶ Fera prorsus libidio fuit Fabrianensis Picentis cuiusdam ciuis, nam cum desciscente populo à *Clauellis* eius vrbis principibus, ne fœminis quidem populi rabies ferrumque pepercisset, ipse cum mortua *Clauellorum* virgine commiscere se per venerem non erubuit. *Fulgos. lib. 9. c. 1. de hominum luxu atque deliciis.* Verum quæ pœna? Et nullo modo videtur debere puniri, quia homo mortuus nihil valet vltra, nisi vt homo dicatur, *not. in l. hac d. de condit. tritic.* & homo mortuus suspendi, vulnerari aut iugulari non potest, vt tenet *Angel. in l. 2. C. qui testam fac. poss. & in l. defuncto D de pub. iud. & in l. qui à latronib. §. si quis D de test. Bald. in l. 1. col. 4. C. qui accus. non poss. facit l. qui mortui nascuntur & l. anniculus §. fin. D. de V. S.* quia non est simpliciter homo *l. homo mortuus D de V. O. & mortuo legari non potest l. vnic. §. 1. C. de caduc. tollend. & Hieron. Cagnola in l. diem functo. n. 114. D. de offic. assess.* Quin imo Clericus percutiens mortuum, etiamsi habebat animum interficiendi eum viuum, non incurrit irregularitatem, vt tenet *Archid. in c. fin. 15. q. 19.* & fac. *text. in clem. pastoralis vers. Quoniam Imp. de re iudic.* per quam dicunt ibi Dd. quod Doctor mortuus, non debet appellari Doctor, & per consequens, miles mortuus non debet appellari miles, & sic de similibus nam vt inquit Gl. *Si re priueris nec no-*

 men

men habere mereris, in c. admonete 32. q. 2. Bart. tamen tenet contrarium per *text. in c. vnic. de relig. & vener. sanct. lib 6. ibi col. 2. vers.* egregios quosque ipsius Dd. Ecclesiæ vbi appellat Gregorium, Augustinum, Ambrosium, & Hieronymum, Doctores, & tamen mortui sunt. Superioribus tamen non obstantibus, in contrarium videtur, quia cadaueri fit iniuria *l 1. §. quoties autem funeri D. de iniur. & Corneus in l. sororem C. de his quib. vt indign. & l. qui sepulcra & l. fin. cum sua authe. C. de sepulc. viol. & l. 3. §. qui de sepulc. C. eod. tit. & l. 1. D de his quibus vt indign & Gl. in c. sane præfertur 24. q. 2. verbo Monstrari* quæ dicit, grauius esse peccare in mortuum, quã in viuum per *text. in d. l. qui sepulcra. & illam gl facit Bald. singul. in l. qui crimen col. 1. vers. Quando quis accusat. C. qui accus. non poss. facit text. in d. l. defuncto. D de publ. iud.* vbi voluit *Imola* iudicem, qui post mortem criminosi, ipsum suspendi facit, teneri actione iniuriarum, & dicit *Cynus in l. 2. C. qui testam fac. poss.* quod est pessima practica, suspendi facere mortuos, per text. *in l. vniuersi C. vbi causa fiscal. secund. I. Clar. in in lib. 5. § Fornication. 28.* cum mortua coitus est punibilis, & hoc faciens videtur grauiter puniend. tanquam contrectator Cadauerum, iuxta dispositionem *l fin. C. de sepulc. viol prout etiam sentit Boer. in decis 316. n. 13.*

DE MIRACVLIS MORTVORVM PARS DECIMA.

CAP. I.

De exhumatione mortuorum.

VT refert ICtus *Martianus in l. 39.* Diui fratres edicto admonuerunt, ne iustæ sepulturæ traditum, id est, terra conditum corpus inquietetur *D. de religios. & sumt. fun.* neque loco mouerentur ossa corporum eorum, nisi iussu Ponti-

Pontificum vel principum *l. 5. D. de mort. inferend.* De mortuis, Chilonis Lacædemonii præceptum laudatur Τὸν τετελευτηκότα μὴ κακολόγει ἀλλὰ μακάριζε, id est, defunctum ne maledictis afficias, sed beatum prædices. Putabant enim, nihil ingenuo viro indignius quam eos incessere lingua, qui respondere non possent siquidem tam turpe hoc habetur, quam cum laruis vel vmbris luctari. Huc præterea & illud Aristotelis referendum est, qui in Rhetoricis citat Platonem, dicentē *lib. 5. de Rep.* Annon illiberale quiddam, cogitationisq; auaræ muliebris ac vilis esse videtur, cadauer expoliare, hostemq; putare mortui corpus, cum aduersarius ipse abierit, eo quo cum pugnabat, relicto? Num censes eos, qui hoc agunt differre à canibus, aduersus ictos lapides irascentibus, eo qui iacit dimisso? à rapinis eiusmodi abstinendum est, victoriæ namque obsunt: Prohibitum ergo est, illa tum ex humore etiam ob delictum, nisi contra Ecclesiæ interdictum sepultus sit, *Bald. in l. principaliter 13. n. 2 C. de lib. caus.*

CAP. II.

Vtrum spolians mortuos peccet?

RESp. quod sic, & grauissime punitiur secundum leges vt *l. prætor §. aduersus eos, de sepulcr. viol. & Philos. 4. Ethic.* latronibus tales annumerat.

CAP. III.

De Cambyse sepulcra aperiente.

HErodotus refert in Thalia c. 12. Cambysem vetusta sepulcra aperuisse, & cadauera mortuorum in iis iacentium conspexisse.

CAP. IV.

De vi illata mortuo Leonidi.

VT refert *Herodotus in Polymnia c. 37.* Xerxes cæsa cadauera visitando, inuenit Leonidem & quom audisset, quod Lacædemoniorum dux fuisset, caput ipsi

abscidit, & corpus cruci affigi iussit, ex quo colligend, quod Leonides viuus Xerxi odiosus summe fuerit, alias non ita sæuisset in mortuum. Persæ siquidem plus aliis, heroas fortes & milites amare & honorare soliti.

CAP. V.

De sepulcro Alarici Gotthorum regis.

GOthi mortuo Alarico ipsorum rege, apud Cosentiam in Calabria quæsiuerunt cuniculos subterraneos, dum eius sepulturæ occultandæ causa iustam Italorum quos ipse læserat, iracundiam veriti, opus insigne moliuntur. Quippe Busentem amnem oppidum ipsum præterfluentem, magno militum labore, alio auerterunt, ac locum sepulcro in medio alueo suffoderunt, atque ibi cadauere cum multis opibus condito, deinde amnem in suo ire flumine permiserunt, & ne locum quis scrutari posset, captiuos qui notasse illum locum oculis poterant, occiderunt, *Iornandes de reb. Gothicis eand. historiam Pandulfus Collenutius recenset.*

CAP. VI.

De S. Nicolai cadauere.

ANno Christi 802. Aaron Saracenorum Amyras despoliata Rhodo, etiam Myrræ S. Nicolai feretrum comminuere voluit, sed subita tempestate repressus est, vt pauci de eius exercitu euaserint. *Cedreno Autore Matth. Dresser. de dieb festis.*

CAP. VII.

De Thomyride sæuiente in mortuum Cyrum.

QVom Cyrus Imp. Persarum Sarpagistem interfecisset, mater eius Thomyris Massagetarum regina vindicabat mortem hoc modo. Conflictu superabat Cyrum, cui caput amputari curabat, & in vas sanguinis humani plenum coniici, hisce verbis: *Filii mei sanguinem hausisti & meum sitiuisti Cyre, at ego te cruore saturabo Teste Herod. lib. 2.*

CAP.

CAP. VIII.

De Mithridate sæuiente in mortuum Aquilum.

CVm Mithridates Rex Ponti Romanorum ducem Aquilum in bello cœpisset, aurum liquefactum ei in guttur infundi curauit.

CAP. IX.

De Pomaxarte sæuiente in M. Crassum.

SImile contigit potentiss. Romano M. Crasso, cum in Parthico bello à Pomaxarte occisus esset, etiam aurum liquefactum in os infuderunt, hisce verbis: *Aurum sitisti Crasse, aurum ad saturitatem bibe.*

CAP. X.

De Achille sæuiente in mortuorum Hectorem.

QVom Achilles Hectorem occidisset, haut satiatus morte eius, sed trahebat corpus eius cum furore, ter circa muros, & postea vendebat illud ex nimia auaritia Priamo.

CAP. XI.

De Cosrhoe sæuiente in mortuum Sain.

CVm Sain Cosrhoes Primarius Dux contra Romanos pugnans, grandine diuinitus immissa, in bello cecidisset, Cosrhoes iratus contra Sain, qui ex multo animi mœrore ægrotans mortuus esset, corpus eius sale conditum ad se iussit adferri, quod pluribus reddit confossum vulneribus, *Cæs. Baron Thesaur antiq. eccles. tom. 8.*

CAP. XII.

De Cadauere C. Caligulæ Cæs. eruto.

VT refert *Suetonius in C. Calig.* cadauer eius clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum leui cespite obrutum est. Postea per sorores ab exilio reuersas, erutum, & crematum, sepultumque, satis constat, priusquam id fieret, hortorum custodes vmbris inquietatos, in ea quoque domo, in

qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactum, donec ipsa domus incendio consumta sit.

CAP. XIII.

De Impe. Henrico 4. exhumato.

ANno 1106. Henricus IV. Imp. mortuus Episcopo Leodiensi in monasterio S. Lamperti honestæ sepulturæ datus est, verum, vt gratiam haberet à rege, tenebatur eum exhumare, & in locum irreligiosum ponere, in quo quinquennium iacuit, dein anno 1111. sublatus, & Spiram vectus, apud patrem & auum sepultus est.

CAP. XIV.

De Hetruscorum feritate in pœna.

HEtrusci Italiæ pop. ne quidem parum feroces in pœna excogitanda fuere: Hi enim viuorum corpora cadaueribus aduersa, aduersis alligata, atque constricta, ita vt singulæ partes membrorum singulis essent accõmodatæ, tabescere simul patiebantur, amari vitæ pariter ac mortis tortores vnde Virgil. lib. 8. Æneid. de eorum rege Mezentio.

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis
Componens manibusque manus atque oribus ora.
Tormenti genus & sanie taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

CAP. XV.

De pœna sepulcra violantium.

LEgitur in antiquis monumentis, si quis aut testamenta corrupisset, aut violasset sepulcra, pœnæ locum additum *Inferat ar. populi Romani. Item Inferat ærario Saturni.*

CAP. XVI.

De sepulcri violati pœna.

SEpulcri violati pœna ex rescripto D. Seueri est capitalis in eo, qui manu armata cadauera spoliauit: in

alio

alio autem, qui sine armis id fecit, est pœna metalli *l. 3. §. aduersus 7. D. de sede viol.* Si quis corpora ipsa extraxerit, vel ossa eruerit, humilioris fortunæ reus, summo supplicio afficitur: honestior deportationis subit pœnam *l. vlt. d. t.* qui vero alias violator sepulcri extitit, aut relegatur, aut in metallum damnatur *d. l. vlt. in fin. D. eod. & l. 2. C eod.* de violatoribus sepulcrorum egi in lectura ad *tit. 19. lib. 6. C. de sepulcr. viol.*

CAP. XVII.

Sepulcrorum deiectio punita.

HAnnibal atque Amilcar Athenienſium duces Agrigentum obsidentes, milites sepulcra omnia demoliri, & ex eorum ruderibus congestis propugnacula sibi aduersus muros ciuitatis facere iusserant: Id cum impigre milites exequerentur, & iam pulcerrimi operis Mausolæo, in quo Theron conditus erat, manus admouerent, ecce sepulcrum de cœlo tangitur: Sine dubio eorum, qui in illo erat, geniorum siue dæmonū operatione: Vnde perterriti milites, præproperè aufugerunt. Nec his contenti Dæmones, pestilentissimam luem castris immiserunt, qua & magna exercitus pars consumta, & ipse Hannibal est extinctus. Quare anxius Amilcar, ad placandam iram Dæmonum Saturno infantem imolauit, Neptuno vero propitiando Sacerdotes quammultos in mare demergi iussit, abominabili sed spiritibus hominum osoribus grato sacrificio vsus.

CAP. XVIII.

Sepulcra à Donatistis violata.

OPtatus *lib. 6. hac habet.* Quid referam etiam illam impietatem de vestra coniuratione venientem: quia ad hoc basilicas mundare voluistis, vt vobis solis cœmiteria vindicetis, non permittentes

ſepeliri corpora Catholica: vt terreatis viuos, male tractetis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter vincentes fuerat certamen: odia veſtra vel mors aliena compeſcat. Iam tacet, cum quo ante litigabas. Quid inſultas funeri? Quid impetis ſepulturam? Quid cum mortuis litigas? perdidiſti malitiæ fructum: Et ſi corpora non vis in vnum conquieſcere, animas tamen in vnum apud Deum poſitas, non poteris ſeparare &c. Hæc & alia *optatus Caſ. Baron. theſaur. antiq. Eccleſ. Tom.4.c.294.*

CAP. XIX.

Quæ non debent cum corporibus condi?

CVm auro & argento morem ſepeliendi olim apud Romanos vſitatum fuiſſe apparet ex Vlpiani reſponſo, qui tamẽ hiſce verbis prohibetur in *l. & ſi quis. § non oportet D. de relig. & ſumt. fun.* Non oportet ornamentum corporibus condi, nec quid aliud huiuſmodi, quod homines ſimpliciores faciunt. Hinc infertur, quod quis pretioſioribus rebus ſepeliri non debet, licet ipſe hoc mandaſſet, ſicut in *l. fin. § fin. D. de auro & arg. leg.*

CAP. XX.

De Theſauro inuento in ſepulcro regis Dauidis.

VT *refert Fl. Ioſephus de antiquitat. Iudæorum lib. 7. in fin.* poſt mille & trecentos annos Epiſcopus Hircanus, cum vrbs Hieroſolyma à rege Antiocho pio cognomine dicto, filio Demetrii, obſideretur, auro placare voluit eum, vt ab obſidione cederet, verum cum non haberet, ſarcophagum vnum ſepulcri Dauidis aperuit, & ex eo tria millia pondo ſuſtulit, & partem Antiocho dedit. Multis annis poſt, rex Herodes alterum ſarcophagum aperuit, & magnam ſummam auri ex eo ſuſtulit, ſed nullus aliorum regum alios ſarcophagos inuenit.

CAP. XXI.

De Hyæna ſepulcra refodiente.

D. *Chryſoſtomus ſupr. Marcum hom. 13. Tom. 2.* Hyæna

ęna nunquam videtur in die, ſed ſemper in noctibus, nunquam videtur in luce, ſed ſemper in tenebris, & hanc naturam habet, vt effodiat corpora mortuorum, & ipſa edat. Denique, ſi quis negligenter ſepelierit mortuum, effodit nocte, & tollit corpus, & comedit, vbicunque ſepulcra ſunt, vbicunque oſſa ſunt, ibi cubile Hyænæ eſt.

CAP. XXII.

De Vaticiniis in ſepulcro Conſtantini Imp. inuentis.

VAticinia quandoque reperta in erutis ſepulcris, exemplo eſt prophetia inuenta in ſepulcro Conſtantini, ante multos annos, in lamina argentea. Hæc primum oſtendit finem Græcanici regiminis, capta Impe. vrbe Conſtantinopoli, deinde initium Turcicæ dominationis, ſimiliter numerum annorum, quos durare debet, vt ex columna tabulæ patet, in cuius latere vno Chriſtiani Impp. more vſitato Græcorum coronati, in aliis lateribus duobus Turcici Impp. repræſentantur, quorum capitibus ſerpens circulum inuolutus appropinquat, ſuper his vero conſpiciuntur ſequentes Impp. Chriſtiani, qui demum deleta Turcica Monarchia Conſtantinopoli regnabunt. Deinde conſpicitur Turcicus Imp inter duos Mauros, quorum vnus Mahometus videlicet ipſi indicat finem ſuæ legis. Item conſpicitur in ea tabula Archangelus Michael, qui ſenatum Venetum à dextris, & regem Ruthenorum à ſiniſtris ſtantem, ad ineundum fædus contra Turcicum Imp. incitabit, qui crudelem huncce hoſtem Chriſtiani nominis terra marique aggredientes, ſua maieſtate priuatum, ſubiugum ducent. Mors horologium tenens oſtendit Imp. Turcico finem, abitus & interitus regni ipſius &c.

CAP. XXIII.

De Vaticinio reperto in ſepulcro VVerdini Abbatis Hydruntini.

ANno 1593. in Calabria in monaſterio quodam inuentum fuit lateritiū ſepulcrum, in quo cadauer

manibus laminam argenteam tenens, hæcce verba inscriptam iacebat. Cum sancta ciuitas fulgebit splendore stellæ, sol iterum me videbit. Hoc est corpus (inquã cadauer) *Abbatis Werdini Hydruntini sepulti. 6.* Calend. Nouembris 1279. à virgineo partu. Sub capite eius marmorea cistella inuenta, in qua in pixide plumbea pergamenum inuentum, hæcce continens. Ego Abbas Werdinus Hydruntinus, cum ab Angelo meo custode admonitus essem, tempus resolutionis meæ instare, quę mihi prius reuelata fuerant ventura in appensione, (forte apertione) sexti sigilli, ista in hac membrana scripsi, & in ista capsula marmorea seruaui, mandans in virtute sanctæ obedientiæ, Iacobo Hydruntino & Macero Panormitano discipulis charissimis, vt ipsum in hoc sepulcro vna cum cadauere meo deponerent.

Vaticinium.

Cum in sede Petri fulgebit stella corruscans, præter hominum expectationem electa, in maxima electorũ controuersia, cuius splendor vniuersam Ecclesiam irradiabit, sepulcrum cadaueris mei aperietur. Hic bonus pastor custoditus ab angelis, multa reædificabit, quæ ob eius controuersiam in manu Dei erit. Vnius vigilãtia & solicitudine eleuabuntur altaria, & Ecclesiæ discoopertæ cooperientur. Tunc gratiosus iuuenis de posteritate Pipini veniet, peregre, ad videndum huius pastoris claritatem, qui pastor mirifice collocabit hunc iuuenem in Gallicana sede hactenus vacante, eique imponet diadema regni, ipsumque in adiutorium regni vocabit. Non post multos annos stella cadet, eritque luctus ingens, nam cum eo tunc temporis sepelietur Aquila septuagenaria: relicto pullo, sub primorum custodia, vbi omnia ruent in peius: Fera pessima cum cauda amarissimo veneno plena, in suum intrabit cubiculum, fortasse in tantumque maxima serpentum quantitas multiplicabitur, itaque indies per vniuersa cubicula clericorum transibunt, & dignitates sacerdotales in maxima sanguinis effusione peruenient, eorumque angustiæ & fames per vniuersa mundi loca, in antumque maior pars gentium clamabit.

In

In illis diebus multæ solemnes ciuitates peribunt, per directas tam internorũ quã externorũ, potissime in Italia, tam in regno Neapolitano quam Hetruria, timenda tremendaque sunt, quantum credi possit. Hydruntina patria mea iterum à Dracone Mahumetano vastabitur. Roma singulariter concutietur. Florentia etiam concutietur, tunc expectans vindictam sub duce sua Apostata, & nidus Philosophorum æqualiter concutietur, & Genua hostium tribulationes incurret. Sic mihi ostendit *Dominus*.

Turcæ cum linguis faturis Venetiam polluent, & his non spectantibus prælium intentabunt. Totum regnũ Siciliæ peribit. Deus propitius sit seruis suis: multa monasteria corruent, ob venenum Aquilæ septentrionalis maximus sanguis effundetur ob duas pugnas Gallorũ & Batauorum. Vtinam auertat Deus iram suam. Refert *Michael Eyzinger ex Austria in historia relat. de anno 1593 p. mihi 21 22 &c.*

CAP. XXIV.

Vaticinium de Christo inuentum in sepulcro Constantinop.

Circa annos Domini septingentos nonaginta in Constantinopoli lamina aurea inuenta est, super corpus cuiusdam defuncti in quodam sepulcro in quã sic scriptum erat: *Christus nascetur de Virgine Maria & ego credo in eum. O sol iterum me videbis sub Constantino & Irene. VVernerus Roleuinck Larensis de VVestphalia lib. 1. c. 3. Beat. Thomas 2. secund. q. 11. art. 13 Entrop. lib. 23. in Constan. & Irene. Marquardus de Susanis de Iudais p. 3. c. 1. n. 60.*

CAP. XXV.

De Vaticinio inuento in sepulcro Capis.

S*Veton. in I. Cæs. c. 81.* Paucos ante menses, inquit, quã in Colonia Capua deducti lege Iulia, Coloni ad extruendas villas sepulcra vetustissima deiicerent, idque eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum

operis antiqui ſcrutantes reperiebant, tabula ænea in monumento, in quo dicebatur *Capis* conditor Capuæ ſepultus, inuenta eſt conſcripta litteris verbiſque Græcis hac ſententia. Quando oſſa Capis detecta eſſent, fore, vt Iulo prognatus, manu conſanguineorum necaretur, magniſque mox Italia cladibus vindicaretur. Quã rem ne quis fabuloſam aut commentitiam putet, auctor eſt *Cornelius Balbus familiariſſimus Cæſaris.*

CAP. XXVI.

De vaticinio in ſepulcro Donabi.

CElebratur ſepulcrum Donabi in foro Argiuo, qui inſigni prudẽtia & aſtu præcedentes reges anteiſſe fertur, in quo lupus æreus cũm tauro pugnans, fatum Pyrrho regi prædixere. *Alex. ab Alexandr. geni. dier. lib. 2. c. 12.*

CAP. XXVII.

De morte I. Cæſaris.

IN ſepulcro Capis reperta eſt tabula ænea, ſignificans mortem & mortis modum Iulii Cæſaris. Inde apparet quantum corpora cœleſtia ſolicita ſint de regibus, regnis, vrbibus, & vniuerſaliter de magnis mutationib. de quibus non ſolum, quando fiunt, & proxima ſunt, dant ipſa corpora cœleſtia in cœlo, in quatuor Elemẽtis, in plantis, in beſtiis, & in hominibus diuerſa prodigia, & ſigna, verum & per multa ante tempora, à Capi namque vſque ad tempora I. Cæſ. defluxerunt ferme mille anni *Petr. Pompon. de incantationib. p. 291.*

CAP. XXVIII.

De Veneficiis: De Ratione & ſenſu L. I.

Plus eſt hominem extinguere veneno quam occidere gaudio. C. De malef. & mathemat.

SVperius de cadauerib. venenatorum dictum, nunc de expoſitione *l. 1. C. de malef. & mathem. P. Binsfeldius*

dius in comm. ad tit. h. duplicem huius legis sensum esse posse tradit.

Prior, inquit, secundum *Gl. & Bald.* Atrocius est venenare, quam occidere gladio, quia venena dans tenetur *l. Cornelia de sicar. & venef.* Secundũ *Salycet.* & alios, Grauius est veneno extinguere, quia dolo & clandestine committitur, & occulte vita hominis extinguitur, & subtrahitur, & vt plurimum non est locus remedio. Quæ ratio, quamuis in eo procedat, quod dicat: Quia dolo & clandestine committitur: non tamen in eo mihi probatur, quod subdit: Et vt plurimum non est locus remedio. Nam cum hic in extremo actu inter se opponantur veneno extinguere, & gladio occidere, nec huic remedium quæri poterit, magis, quam illis. Puto igitur hanc veram esse rationem: quod qui veneno extinguit, (præter id quod clam & dolose agit, sicque incertum autorẽ necis reddit, aliosque suspectos de facinore facit, sæpe etiam ob incertitudinem maleficium manet impunitum) maiores cruciatus venenato infert, quam qui gladio interficit. Nam venenum penetrat totum corpus, omnia membra torquet, & sic hominem plane ad furorem vertit, ob nimios cruciatus & tormenta. Quamuis & illa possit esse ratio, quod qui gladio occidit, sæpe lacessitus id facinus aggreditur, & ex causa, & in continenti, vbi furori & iræ eius aliquo modo indulgetur, cum sit difficilimũ iustum dolorem temperare, iuxta Papinian. in *l. si adulterina 38. §. Imperator. D. ad l. Iul. de adult.* Ille autem, qui venenum porrigere intendit, occasionem, opportunumque tempus expectat, & sic etiam si lacessitus, non in continenti, sed post interuallum se vindicare tentat, & non eodem genere armorum, sed diabolico plane & ineuitabili *Gl. in §. eadem lege & venefici. Inst. de publ. iud.* Plus igitur est veneno extinguere, quã gladio occidere, non respectu pœnæ, sed consideratione cruciatuum, & tormentorum de quib. *latius in cent. 1. q. 97.*

De Pœna parricidarum.

Expositio l. 9. D. ad l. Pompei de parricid.

VT antiqui facti atrocitatem, atrociore etiam supplicio afficerent, hanc statuere pœnam in eos, qui parentes interficerent: *Vt virgis sanguineis verberati, deinde culeo insuantur, cum cane gallo gallinaceo & vipera & simia deinde in mare profundum culeus iactatur, hoc ita si mare proximum sit l. pœna 9. D. ad l. Pomp. de parric* vel in amnem proiiciatur, vt regionis qualitas tulerit: vt enim elementorum vsu viuus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, terra mortuo auferatur, *l. vnic. C. de his qui parentes vel liberos &c.* Lectio *virgis sagmineis* Corasio 1. Miscell. non placet pro eaque *sanguineis* supponit. Verum, veterem lectionem retinendam censeo ego, tum quia omnis correctio in iure vitanda, nec video rationem, qua herba illa *sagmen*, alio nomine *verbena* dicitur hanc pœnam accesserit, nam etsi herba ea Romani in legationibus obeundis *l. 8. §. 1. de diuision. rer.* cum ad hostes, clarigatumque mitterentur, vsi fuerint, quid commune cum hac pœna? Nihil sane tum, quia non conuenit lenis hæc herba ad infligenda vulnera, & verbera, quæ requirit lex: vt parricida virgis sanguineis verberatus &c. *sanguineæ* igitur virgæ sunt, & dicuntur, quod sanguine ex corpore parricidæ per ictus stillante, ipse virgæ sanguine tinctæ & violatæ, sanguineæ videantur, quæ expositio congruit textui. Vel etiā prius immergantur in sanguine, & deinde plagæ hisce infligantur, ad denotandum tam detestabile & grauissimum crimen parricidii, quod etiam proprio quasi sanguini non pepercit, vt sic ipsus sanguis quem parricida tam crudeli fudit facinore, vltionem de ipso sumat ipsique sanguinem eliciat, & sic dicantur *virgæ sanguineæ*: Vel nouiter intelligatur de *virga sanguinea* vt Plinius vocat, est Corneolus, siue pseudocranea, alii *Osseam* vocant ob duritiem, est arbor tenuis crescens in dumetis & vepretis, multis ramis est, durum lignum,

rosi-

resistit ferro, difficile scissu, & perforatu, vnde & nomen sortitur. *Petrus Matthiolus de herbis & arboribus lib. 1. c. 85.* Hæc ad atrocitatem mortis in aquis addere volui, cum priuari sepultura sit maxima pœna *d. l. vnic. C. de his qui parent. Bald. in cons. 427 incip. præmittend. est. vol. 1.* Dum hæcce finio, asseclam inuenio multæ lectionis virum, historiarum antiquarum scientissimum, abstrusarumque atque reconditarum vocum indagatorem, atque explanatorem sagacissimum iuxta ac peritissimum, *Marcellum Donatum in lib. lib. 1. vers. sagmina.* Non enim verisimile est, inquit, Romanos religioni quam maxime addictos, permisisse sacram frondem parricidarum corpore contaminari, quare reponendũ non dubito, *sanguineis* hoc est, quæ sanguinem ictibus elicerent, vel quæ ex frutice illius pararentur: *qui sanguen appellatur*: cuius meminit *Plinius libr. 16. c. 37.* sanguineos frutices vocans & de sanguineis virgis *lib. 20. c. 10.* inquiens sunt, qui sanguineis virgis tangunt, ea quæ nolunt his obnoxia esse, & *lib. 24.* nec virgo sanguinea felicior habetur, cortex eius interior cicatrices, quæ persanauere, aperit, sanguineas autem virgas infaustas fuisse ex hisce patet.

Gaudet fausto fine Opus de miraculis mortuorum.

Regnante inuictiss. Imp. Cæs. Rudolpho II. P. F. Aug. P. Q. P.